De Valore Notarum Theologicarum

DOGMA
PROXIMA FIDEI
THEOLOGICE CERTUM
DOCTRINA CATHOLICA
COMMUNE ET CERTUM
DOCTRINA TUTA
SENTENTIA PROBABILIS

Sixtus Cartechini S.J.

DE VALORE NOTARUM THEOLOGICARUM

SIXTUS CARTECHINI S.J.

DE VALORE NOTARUM THEOLOGICARUM ET DE CRITERIIS AD EAS DIGNOSCENDAS

(AD USUM AUDITORUM)

TRADIBOOKS MMX

IMPRIMI POTEST

Romæ, die 1° ianuarii 1951.

P. EMMANUEL PORTA S.J.
Præpositus Prov. Roman

IMPRIMATUR

Ex Vicariatu Urbis, die 24 ianuarii 1951

+ A. TRAGLI
Archiep. Cæsarien., Vice

ISBN : 978-2-917813-25-6
Editio altera et emendatior operis primum Romæ editi anno MCMLI
apud Typos Pontificiæ Universitatis Gregorianæ
Tradibooks, editor huius alterius editionis, omnia quæ pertinent iura
sibi vindicat.
TRADIBOOKS
Mounet Sud
33410 Sainte Croix du Mont, France
http://www.tradibooks.com - tradibooks@orange.fr

PRÆFATIO

Ad lectorem.

Notiones de notis theologicis et censuris ecclesiasticis, quas operibus studendo in bibliographia recensitis, præsertim Franzelin, Billot, Filograssi inveneram, putavi non omnino inutile futurum pro sacræ theologiæ studiosis, si ad unum corpus redigerentur et sub uno veluti aspectu ponerentur.

Multæ enim hodie quæstiones agitantur de fide theologica, de evolutione dogmatis, de revelatis formaliter aut solum virtualiter, de dato revelato, de theologia positiva, de speculativa; at omnino incassum, nisi prius constet quid intelligatur sub voce dogmatis, traditionis, magisterii ordinarii, notionis aut philosophiæ dogmati applicabilis, formulæ dogmaticæ, sensus populi Christiani; et quomodo aliqua propositio vel idea possit in alia revelata contineri ab eaque colligendo inferri.

In hoc ergo meo libello illa principia traduntur, quorum quidem supina ignorantia duxit Modernistas ad renovanda omnia monstra et portenta hæreticorum—et modernismus non est res plane præhistorica—consideratio autem explicita in campum theologiæ ingredientibus alicui adiumento esse potest.

Quia vero hæc prius docebam discipulos in schola, ne mireris, quæso te, lector humanissime, si ordine et stylo scholastico eadem digesta esse videantur: hoc unum mihi esse propositum memineris: multa breviter perstringere, multa tibi suggerere, quæ tu deinde poteris et latius evolvere et melius dicendo aut scribendo proferre.

Romæ, in Epiphania Domini 1951.

P. SIXTUS CARTECHINI S.J.

BIBLIOGRAPHIA

Encyclica "Humani generis"
Bulla "Munificentissimus"
(A. A. S., 1950)
BILLOT, L. – *De immutabilitate Traditionis contra modernam haeresim Evolutionismi*, 2 ed.
Romae, 1907.
FILOGRASSI, G., S. J. – *Theologia catholica et Assumptio B.M.V.*, in "*Gregorianum*", XXXI
(1950), p. 323-360.
FILOGRASSI, G., S. J. – *Traditio divino-apostolica et Assumptio B.M.V.*, in "Gregorianum",
XXX (1949), p. 443-489.
DE GRANDMAISON, L., S. J. – *Le dogme chrétien, sa nature, ses formules, son développement*,
Paris, 1928.
DI BARTOLO, S. – *Nuova esposizione di criteriologia*, Roma, 1904.
DORHOLT, B. – *Entwicklung des Dogmas und Fortschritt in der Theologie*, 1892.
DUBLANCHY, E. – *Dogmatique: Dogme*, in *Dictionnaire de Théologie Catholique*, v. VIII, col.
1522-1650.
FRANZELIN, J. B. – *De divina Traditione et Scriptura*, 2 ed. Romae, 1875.
GARDEIL, A., O. P. – *Le donné révélé et la théologie*, 2 ed. Ed. Du Cerf, 1932.
GARRIGOU-LAGRANGE, R., O. P. – *Vérité et immutabilité du dogme* in "*Angelicum*", XXIV
(1947), p. 124-139; et alibi.
HAASE, F. – *Begriff un Aufgabe der Dogmengeschichte*, 1911.
KREBS, E. & JUNGLAS, J. P. – *Dogma*, in *Lexikon für Theologie und Kirche*, Herder, v. II, col.
358-370.
LENNERZ, H. – *De novissimis*, 4. ed. Romae, 1940.
MARIN-SOLA – *L'évolution homogène du dogme catholique*, 2 ed. 2 voll. Paris, 1924.
MURILLO, L., S. J. – *El progreso en la Revelación cristiana*, Roma, 1913.
NEWMAN, J.H. – *An essay on the development of Christian doctrine*, 2. ed. London, 1878.
PINARD, H. – *Dogme*, in d'Ales, *Dictionnaire apologétique de la foi catholique*, t. I, col. 1121-
1184.
RADEMACHER, A. – *Die innere Einheit des Glaubens*, Bonn, 1937.
SCHULTES, R.-M., O. P. – *Introductio ad historiam dogmatum*, Parisiis, 1922.
SIMONIN, H.D., O. P. – *Note sur l'argument de la tradition et la théologie*, in "Angelicum",
XV (1938), p. 409-418; et alibi.
TROMP, S., S. J. – *De Revelatione Christiana*, 5 ed. Romae 1945.
VAGAGGINI, C. – *Dogma*, In "Enciclopedia cattolica", v. IV, col. 1792-1806.
ZAPELENA, T., S. J. – *Problema theologicum*, in "*Gregorianum*" XXIV (1943), p. 23-47, 287-
326; XXV (1944), p. 38-73, 247-282.
N.B. — Dz. = Denzinger, 21-23 ed., 1937.

PARS PRIMA

DE SINGULIS NOTIS THEOLOGICIS ET CENSURIS

CAPUT I
QUID SIT DOGMA FIDEI SEU DE FIDE DIVINA ET CATHOLICA

"*Fide divina et catholica* ea omnia credenda sunt, quæ in Verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio, tanquam divinitus revelata credenda proponuntur." (Dz. 1792)

Secundum hanc definitionem:

1. Dogma est lex credendi seu aliqua doctrina auctoritative proposita ad credendum mediante aliquo iudicio.

Est **lex credendi**: si enim respicimus etymologiam, vox *dogma* (a δοκέω) significat sive opinionem quam quis præfert, sive decretum aut legem vel edictum (sicut in Evangelio dicitur quod "exiit edictum [*dogma*] a Cæsare Augusto") et ad hunc secundum sensum, seu edicti, accedit dogma prout nunc sumitur.

Est **doctrina**: nam Deus quando aliquid proponit ad credendum est sicut magister qui docet, unde in tractatu de revelatione loquimur de auctoritate magisteriali Dei; magister autem ex notis ad ignota procedit, seu ex his quæ discipulus novit, ducit eum in cognitionem eorum quæ ignorabat; et hoc facit proponendo in novo ordine et in nova synthesi quæ discipulus iam cognovit.

Cum nihil sit in intellectu quod non prius fuerit in sensu, etiam doctrina revelata non potest a Deo nobis doceri nisi per signa sensibilia et per illas cognitiones quas naturaliter habemus.[1]

Proposita per aliquod iudicium: distinguendum est enim inter obiectum materiale seu res de quibus sunt dogmata et ipsa dogmata seu obiectum formale eorum.

Res sunt multiplices: sive increata (Deus trinus), sive creata (Angeli, homo) sive corporalia, sive spiritualia, sive simplicia, sive composita; sive veritates, sive facta.

Est quæstio de *obiecto materiali*, quæ redit in tractatu de fide: etiam circa diabolum datur aliquod dogma.

---

[1] De magistro non est quæstio facilis; est intime connexa cum confutatione Traditionalismi: de ipsa scripserunt S. Augustinus et S. Thomas.

Dogmata vero sunt veritates seu iudicia circa illas res per modum propositionis enuntiata. Sciendum est enim quod noster intellectus nequit res cognoscere et manifestare aliis nisi per iudicia, scilicet componendo vel dividendo, affirmando vel negando praedicamentum de aliquo subiecto.

Talia iudicia sunt *datum primordiale in nostra fide*, seu ipsa constituunt datum revelatum; seu, datum revelatum non est Deus prout vitaliter sese nobis communicat.

Nam ista communicatio, licet realissima in ordine ontologico, quousque non pervenit ad sphaeram nostrae cognitionis, non est obiectum nostrae fidei vel theologiae; aliis verbis, primus contactus Dei cum hominibus in ordine fidei est per intellectum. Deus autem sese accommodat ad nostram mentem, dum vult fieri obiectum nostrae fidei et amoris; scilicet se nobis manifestat per propositiones.

Cum ergo dogmata sint obiectum intellectus et cognitionis, habent *valorem obiectivum*, habent semper elementum seu *valorem intellectualem*, et ut patet ex logica minori et maiori, iam ex hoc solo capite quod dogmata sunt veritates et quod veritas est in conformitate iudicii cum re, dicunt aliquid *immutabile, absolutum*, semper eodem modo verum.

Hic valor intellectualis fundatur in ipsa Scriptura: nam in ipsa Scriptura apparet quod fides de qua loquimur est actus intellectualis, et Apostoli transmittunt doctrinam seu depositum. Ex alia parte nulla potest esse fides, si nulla praecesserit cognitio seu notio rei propositae ad credendum. Qui enim veritatem non novit, credere vere non potest, quia scientia praecedit fidem natura et ordine genetico.

Unde in Scriptura saepe coniunguntur cognoscere et credere; fides dicitur cognitio veritatis, plenitudo intelligentiae, et fideles dicuntur docibiles Dei.

Fides ergo non est idem ac ignorantia; neque aliquid potest esse validius ad extinguendam fidem quam omnia velle recipere simpliciter temere et indiscriminatim.

Momentum huius quaestionis est maximum, quia si omnia fundantur in sentimentis, nihil erit stabile in fide et theologia, ut dicit error Modernistarum pro quibus dogmata sunt obiectum cuiusdam sensus religiosi caeci, non vero obiectum intellectus (Ds. 2022).

Ipsi devenerunt ad hunc errorem quia ex philosophia kantiana retinebant intellectum nihil posse affirmare cum certitudine de rebus supraesensibilibus, ut de Deo vel de Revelatione eius. Ex alia parte volebant remanere catholici, saltem de nomine, et explicare dogmata, quae dicebant: dogmata non sunt obiectum intellectus, sunt ergo obiectum sensus cuiusdam.

2. *Dogma* **dicit semper doctrinam revelatam.**

Revelatio hic sumitur sensu stricto pro revelatione supernaturali, seu *locutione docente et attestante Dei personalis.* Aliis verbis: Revelatio est verus sermo quem Deus hominibus tenet.

Elementa huius locutionis patent ex tractatu de Revelatione.

Breviter recolo: requiritur quod Deus manifestet nobis suam mentem circa aliquam rem, quod facit per signa; et quod nos animadvertamus quod Deus nobiscum loquatur, quod fit per miraculum.

Parum refert utrum veritates revelatæ sint cognoscibiles per rationem naturalem vel non; nam Revelatio continere potest *tres species veritatum*:

a) *veritates ordinis naturalis* scilicet quæ non superant captum rationis humanæ, ut existentia Dei vel legis moralis et vitæ futuræ in genere.

Est problema in theologia quomodo tales veritates possunt esse revelatæ.

b) mysteria proprie dicta.

c) *facta historica,* præsertim quæ respiciant personam Domini.

Quæ facta erant cognoscibilia sensibiliter quantum ad materiale elementum eorum; erant cognoscibilia per inductionem rationis quantum ad eorum qualificationem factorum divinorum.

Non autem quælibet revelatio sufficit ad habendum dogma, sed:

3. Dogma dicit doctrinam revelatam Revelatione publica.

Nam ista *Revelatio tradita est Ecclesiæ ut societati publicæ,* unde dogma non est res privata, sed est res societatis, pertinens ad omnes, continens doctrinam revelatam quæ Ecclesiæ sit tradita seu commissa.

Hoc elementum est summi momenti, quia *excludit quod forma nativa Revelationis sit aliqua intuitio supernaturalis vel experientia religiosa* ut dicunt Modernistæ (Dz. 2020) et Protestantes: intuitio enim et experientia sunt res privatæ, ut patet, non multorum simul.

Verum est quod Revelatio generatim immediate *fit alicui individuo*; sed quia destinatur ad omnes, est necesse quod ipsa tradat obiectum quod valeat pro omnibus, seu quod exprimatur cum ea claritate, certitudine et stabilitate ut posset pro omnibus esse norma. Unde emotio religiosa personalis, experientia mystica sunt omnia extra nostram quæstionem; possunt hæc comitari Revelationem, sed non sunt Revelatio. Ut autem cognitio quam habet propheta possit esse norma socialis, requiritur, ut patet, valor constans et stabilis affirmationis intellectualis. Quod ergo immediate attingitur per Revelationem non est cor prophetæ, sed eius intellectus capax absolutæ veritatis; parum refert nobis eius fides, religio seu

virtus sufficit quod pro Deo ipse sit instrumentum affirmationis scriptionis.

Et ostendo per exemplum celebre Balaam erat malus et resistebat Deo sed tamen Deus illum constringebat ad prophetandum et eius verba sunt vera revelatio pro nobis. (Num. 23 et 31 v. 8).

Doctrina vero revelata, Ecclesiae consignata est per modum Sacrae Scripturae divinitus inspiratae, aut per modum Traditionis oralis.

Unde non sunt dogmata revelationes privatae etsi verissimae, ut revelatio SS. Cordis, et Ecclesia de facto eam numquam definivit, sed tantum de illius conformitate cum Revelatione publica sibi commissa iudicavit. In Breviario de festo SS. Cordis. Hoc non significat quod si quis ea negat non posset peccare mortaliter, ex gravi temeritate, sed tamen non est haereticus neque subiacet poenis ecclesiasticis.

4. Dogma dicit doctrinam revelatam de fide et moribus.

Nam non omnia revelata sunt apta ut dogmata fiant, sed solum illa quae per se vel ratione sui nos ordinant ad Deum vel ad salutem: in quibus proponendis est infallibilis Ecclesia. Ita veteres Scholastici distinguebant inter *credibilia per se* et *credibilia per accidens*. (Exempla: Act. 19, 28; Io. 2, 10).

De his ergo aliis, v.g. quod illi clamabant: "Magna est Diana ephesiorum" quid est dogma? Supposita eorum authenticitate et incorruptione textus esset error in theologia dicere quod non sunt inspiratae; nam est theologice certum quod sunt inspiratae (loquor de partibus minimis), non autem adhuc est dogma.

Unde si quis negat parva quaedam et minoris momenti non est haereticus. Dico minoris momenti, quia quod Christus coronatus sit spinis in Evangelio dicitur uno verbo, sed tamen est dogma fidei.

5. Dogma dicit doctrinam quae ab Ecclesia est definita ut revelata et ut proposita ad credendum.

Haec est conditio necessaria ut aliqua doctrina sit *dogma* seu *de fide catholica*. Propositio ex parte Ecclesiae est iudicium quo Ecclesia declarat aliquam doctrinam ut revelatam, et imponit praeceptum quo omnes fideles in conscientia tenentur ad faciendum actum fidei de illa veritate. Id apparet illa etymologia qua *dogma significat decretum*. Quae declaratio potest fieri dupliciter: *vel per iudicium solemne*, quando Papa vel Concilium generale modo speciali et expressis verbis aliquam veritatem definit, *vel magisterio ordinario et universali docetur*.

Unde vides discrimen inter hanc notam *de fide catholica* et *de fide definita*. *De fide catholica* continet duas species; seu: *de fide definita solemniter*; vel *de fide proposita in ordinario magisterio*, puta in symbolis (Dz. 86) vel in catechismis, prædicatione, doctrina theologorum.

N.B. — quod non sufficit ad habendum dogma ut res definiatur et proponatur; quia Ecclesia potest definire quædam quæ non videntur revelata, puta facta dogmatica, ut melius videbimus; sed requiritur quod definiatur *ut veritas revelata*, scilicet quod proponatur dicendo vel significando quod est revelata et quidem revelata ad credendum v.g. de Immaculata (Dz. 1641); nam quædam possunt revelari sed non ad credendum per se, ut v.g. quod erat multum fenum in loco ubi Christus multiplicavit panes. Alibi debet saltem patere implicite quod proponatur ut revelata. (Dz. 1810; 1811; 1789).

Alia est quæstio num aliquid possit esse simpliciter de fide divina quin sit catholica seu proposita ab Ecclesia; quod postea videbimus analyzando hanc notam: de fide divina.

Cur autem ad habendum dogma requiratur propositio ex parte Ecclesiæ et non sufficiat quod res clare inveniatur in Scriptura, est quæstio facti. Christus depositum Revelationis tradidit Ecclesiæ ut illud nobis proponeret. Ecclesia de facto hæc tantum habet ut dogmata et tantum eum qui ea negat habet pro hæretico.

CAPUT 2
QUID SIT HÆRESIS

Ex qua nota *de fide catholica* statim intelligitur nota opposita seu *quae sit haeresis* (relinquo res curiosas veterum Scholasticorum qui agebant etiam de propositione *pagana*, vel *iudaica*).

Haeresis est propositio quae certo opponitur sive contrarie sive contradictorie veritati de cuius revelatione sufficienter in Ecclesia proposita, certo constet.

Oppositio contraria, v.g. est ista: omnes libri S. Scripturae sunt inspirati: nullus liber S. Scripturae est inspiratus, *oppositio contradictoria* vero est talis: omnes libri S. Scripturae sunt inspirati: aliquis liber, ut liber secundus Machabaeorum, non est inspiratus.

Unde cum sit dogma fidei quod omnes libri sunt inspirati, est haeresis dicere sive quod nullus liber sit inspiratus, sive quod aliquis liber non sit inspiratus.

N.B. – Illud "*certo*", nam si non constet certo, res non potest dici definita contraria neque dici haeretica. Et explico per exemplum celebre in theologia. Est thesis in tractatu de gratia quae dicit: peccator adultus non potest diu servare totam legem sine gratia (Dz. 132, 183, 192, 806). Illa thesis prima aspectu posset videri definita, sed quia posset eludi vis documentorum dicendo quod documenta agunt de observatione mandatorum non quacumque sed totali, ideo si quis diceret: ego possum observare mandata etiam diu sine gratia, non posset dici haereticum, quia eius oppositio ad textum definitum non est certa.

N.B. – Etiam quod dicit "*contrarie vel contradictorie*" nam si est falsa contradictoria, multo magis est falsa contraria, quae plus negat quam contradictoria. Exemplum de septem Sacramentis et de libris inspiratis. Quaestio utrum possit esse haeresis contra fidem ecclesiasticam, et videtur de facto dari, et multa videntur definita de fide ecclesiastica, ut postea videbimus.

CAPUT 3
CRITERIA AD DISCERNENDA DOGMATA

I. In magisterio solemni Conciliorum

Est via magis communis ad statuenda dogmata. Quæ criteria respiciunt doctrinam *positivam* capitulorum et doctrinam *negativam* canonum.

Supponitur ante omnia concilium esse œcumenicum et legitimum, nam Concilium particulare non est infallibile.

Sed notemus rem summi momenti: dantur in historia concilia particularia quæ ex secuta confirmatione Romani Pontificis acquisiverunt valorem universalem et irreformabilem. Ita factum est in Concilio Constantinopolitano I (Dz. 85), Carthaginense contra Pelagianos (Dz. 101, ss.), Arausicano contra Semipelagianos. (Dz. 174 ss.). Unde patet valorem eorum esse eundem ac, puta, Concilii Tridentini. Hæc retineas pro tractatu de gratia.

1. Multa facta humana et passiones possunt influere in concilium œcumenicum, ut in Concilio Tridentino de variis disputationibus; sed ultimæ conclusiones quæ respiciunt res fidei et morum sunt infallibiles.

2. Ut habeatur definitio requiritur quod res ita proponatur ut gignat certitudinem.

Si enim definitio conciliaris non eo modo proponatur ut mentes perveniant ad certitudinem, non habetur infallibilitas: nam probabilitas in quolibet gradu non importat certitudinem.

3. Concilia generalia debent ostendere cum relativa evidentia voluntatem definiendi.

Qui enim habet ius docendi, ut Ecclesia, non semper de facto habet voluntatem docendi, unde requiritur quod quando velit docere, id clare ostendat.

4. Quædam claritas saltem relativa est conditio indispensabilis magisterii infallibilis Ecclesiæ. Nam omnis doctrina profertur ut cognoscatur; si ergo nequeat ab intellectu clare percipi, finem suum doctrina non consequitur. Ideo patet quod Ecclesia nolit exercere magisterium suum infallibile si id

clare non ostendat. Nam definitio dogmatica est lex credendi, et lex, quando est dubia, nulla est.

5. Obiectum definitionis non sunt a) in capitibus *stilus et ordo*; b) neque introductiones; c) neque ideæ accidentales; d) neque rationes; e) neque explicationes.

De *stilo, ordine et introductione* (Dz. 792a) res est clara. Videndum est autem quænam sint *ideæ accidentales vel indirectæ*: sunt illæ quæ dicuntur obiter, præter institutum præcipuum, de quo erat controversia; sunt ideæ quæ non sunt intrinsece et essentialiter connexæ cum obiecto primario et immediato definitionis. (Dz. 1794) "ob eximiam sanctitatem" non est obiectum definitionis; unde sanctitas personarum, quando dicimus: credo unam sanctam Ecclesiam, non est dogma fidei.

Ita *de contritione* (DX 898) est solum theologice certum quod iustificet ante absolutionem, quia Concilium non curat id docere in recto, sed habet tantum in obliquo.

Aliud exemplum: (Dz. 428) Concilium docet Angelos esse incorporeos, sed hoc traditur exponendi gratia, non ut obiectum definitionis.

Unde *spiritualitas Angelorum* non est dogma fidei sed tantum theologice certum. Supposito enim quod sint duæ species creaturarum, corporeæ et incorporeæ (de qua re non ambigebatur), Concilium vult definire contra Albigenses utramque creaturam a Deo esse creatam: nam illi admittebant duplex principium, boni scilicet et mali.

De *rationibus et motivis* seu probationibus ratio etiam est clara, scilicet quia infallibilitas non extenditur ad ea: nam qui docet rem credendam ob auctoritatem Dei non tenetur ad danda motiva; neque homo credit ob motivum quod adducatur. Possunt autem ipsa motiva ex alia ratione definiri (Dz. 805).

Unde id definitur quod in verbis suis ipsa definitio directe intendit, vel quod directe regitur verbo: "definimus". Explicationes vero sunt opus discussionis, sunt in genere accidentales in ordine ad definitionem.

Non loquor, ut patet, in hoc criterio de illis explicationibus vel consequentiis quas concilium potest assumere ut obiectum suæ definitionis directæ ut patet in exemplo allato. Non omnia ergo quæ in capitibus inveniuntur sunt dogmata.

6. Immo potest etiam in capitibus exponi doctrina theologorum, quin ipsa definiatur.

Ita in capitibus de iustificatione ubi describit Concilium modum præparationis (Dz. 798-799), vel causas iustificationis, vel in capite de attritione.

7. Signa alicuius definitionis sunt ista:

a) vox "*definimus*", licet non semper sit apodictica;

b) *obligatio profitendi aliquam doctrinam* ut in antiquis symbolis (Dz. 148 in fine; 937a introductio ad Missam; 478 in fine);

c) *declaratio quod is qui aliter tenet sit alienus a fide*, hæreticus vel separatus ab Ecclesiæ unitate. (Dz. 1641).

Quandoque vero iudicium solummodo desumi potest ex circumstantiis vel ex Traditione, ex sententia theologorum, ex posteriore declaratione Ecclesiæ.

Sumas ergo caput:

a) *facias analysim logicam* seu quæras quænam sint propositiones principales, quænam secundariæ;

b) *quæras nexum* inter illas;

c) *animadvertas subiectam materiam*, utrum sit factum dogmaticum, vel sententia philosophica, vel doctrina aut factum quod nequeat haberi nisi ex Revelatione;

d) *videas bene tempus concilii et hæresim* contra quam concilium institutum est;

e) *videas tenorem documenti*, qui tenor patet in præfatione et in conclusione eiusdem documenti;

f) *ex fine concilii* et ex his omnibus habebis dogma definitum.

Noli tamen expavescere: hæc omnia inveniuntur in libris theologorum!

Do exemplum (Dz. 817): quis posset negare ibi agi de infideli; unde thesis quæ dicit "non omnia opera infidelium sunt peccata" videtur tantum theologice certa. Nam hunc casum Concilium non sibi proponebat, quia Lutherus non cogitabat de infideli.

De signo autem "anathema sit" est difficilis quæstio, utrum ubicumque inveniatur agatur semper de dogmate. Scilicet de veritate fide catholica tenenda; et videtur quod non.

Et do *exempla*: (cf. Dz. 954; 955; 956; 977) hic ut patet non agitur de dogmate nisi indirecte; v.g. dogma indirecte esset quod Ecclesia habet iurisdictionem ad hæc statuenda. Unde quis posset dicere: qui negat est anathema, quia indirecte negat iurisdictionem Ecclesiæ. Utique verum est, sed hoc modo omnia possunt damnari cum "anathema". Ceterum de anathemate agam explicito postea: nunc sufficiat hoc problema excitasse.

8. Textus Conciliorum sunt strictæ interpretationis.

Seu veritas quæ definitur ab auctoritate docente invenitur in verbis propositionis secundum minimum possibile; minimum autem est res in subiecta materia magis evidens.

Nam *damnatio, ut res odiosa, restringenda est*: propositio vero contradictoria est minus lata inter oppositas, contraria vero est magis lata: et ista est ratio quare inter contradictorias non detur medium et una debeat esse vera, alia falsa, dum inter contrarias datur medium.

a) *Si qua ergo veritas positive definiatur ut dogma, certe et contradictoria et contraria sunt hæreticæ; sed si qua damnatur ut hæretica, contradictoria tantum est dogma*. Do exemplum ex quinque propositionibus damnatis Jansenii (Dz. 1096); qua ex damnatione sequitur Christum, si non pro solis prædestinatis, saltem pro quibusdam aliis mortuum esse: verum est quod Christus pro omnibus omnino crucifixus est, sed vi damnationis, definitioni subiacet tantum id quod propositioni damnatæ præcise contradicit. Unde quod sit mortuus pro omnibus, licet verissimum, non est tamen adhuc dogma fidei. Infallibilitas ergo, cum exigat sacrificium mentis, Ecclesia imponit hoc sacrificium in minimo gradu possibili.

b) *Si vero damnatur aliqua propositio, eius contradictoria admittenda est, non necessario eius contraria*. Nam damnatio alicuius propositionis non implicat necessario affirmationem eius contrariæ, quia etiam ipsa potest esse error, cum duæ contrariæ possint esse æque falsæ.

9. Quando non clare patet utrum determinatio aliqua sit definita in aliqua propositione, tunc quod est definitum est tantum conceptus aliquis genericus, seu aliquod minimum quod sufficiat ad salvandum dogma. Scilicet illud minimum est saltem veritas magis evidens.

Do exemplum *in notis Ecclesiæ*, quid sit dogma quando dicimus: "credo unam, sanctam, catholicam, apostolicam Ecclesiam" : quæstio iuris est dogma, non semper quæstio facti.

Aliud exemplum *de lumine gloriæ*: (Dz. 475). Ibi est definitum quod requiritur aliquod adiutorium intellectuale; aliæ determinationes: quid sit illud adiutorium, vel de speciebus impressis et expressa, nihil. Unde quando aliquis theologus adversarius admittit aliquid quod sufficiat ad salvandum dogma, non potes illum reprehendere.

10. Si quando disputetur neque pateat quid sit damnatum ut hæreticum et quid præcise tenendum ut de fide, et documentum tamen clare loquatur de fide vel de hæresi, tunc determinationes theologorum non sunt de fide.

Quod imponitur est tantum hoc, quod aliquid ibi sit de fide vel hæreticum.

Do exemplum *de propositionibus Baii* (Dz. a 1001 ad 1080), quis potest ibi absolute determinare semper quænam propositio sit hæretica? Theologi utique possunt cum fructu multa determinare, sed eorum determinationes non sunt de fide, nisi pateat ex alio documento, quod est de fide definita est tantum hoc: in illis propositionibus certe sunt hæreses

secundum subiectam materiam et est hæreticus qui eas recipit sine ulla restrictione.

Posset hic moveri *quæstio* incidentalis cur Ecclesia vel Papa non magis clare locutus sit, cur non determinaverit in specie singulas propositiones.

Respondeo quod supremum magisterium potest habere rationes vero sufficientes ita procedendi, vel quia non habuit tempus vel modum singula discutiendi et tamen damnatio urgebat ad vitanda maiora mala: cogitemus laborem quem impenderunt in Conciliis Tridentino et Vaticano ad definienda dogmata; et Papa solus quomodo potuisset tam brevi tempore singula videre? Ex alia parte in illis adiunctis talis damnatio sufficiebat ad illos errores compescendos.

Quædam criteria nunc respiciunt magisterium Pontificis, præter illa quæ diximus de conciliis.

II. QUID SIT LOQUI *EX CATHEDRA*

1. Romanus Pontifex ut doceat ex cathedra debet ostendere cum relativa evidentia voluntatem definiendi ex cathedra.

Nam charisma infallibilitatis non excludit activitatem humanam illius qui est infallibilis; voluntas autem est elementum essentiale activitatis humanæ.

2. Pontifex Romanus, ut doceat ex cathedra, potest adhibere varias formas:

V.g. *bullas, encyclicas, litteras apostolicas, brevia, concilia particularia* aliqua ratione ea confirmando. Licet enim intentio definiendi aliquam doctrinam debeat esse certo manifesta, nulla tamen forma determinata ad hoc requiritur, neque Pontifex tenetur ad unam præferendam alii. Sed possumus dicere quod *per encyclicas* Papa generatim ***non proponat definitiones novas*** sed solummodo redeat super definitiones iam propositas.

Hic venit discutiendus *triplex casus* pulcherrimus et actualitatis.

a) De celebri Indiculo (Dz. 129), quod non est documentum originis directæ pontificiæ, ut patet ex citationibus Papæ Innocentii (Dz. 130) et Zosimi (Dz. 134). Sed est ut syllabus quidam propositionum definitarum circa gratiam.

Auctor qui recollegit talia documenta videtur esse Prosper Aquitanus: sed auctoritas horum capitulorum est maxima, sive quia desumuntur ex documentis pontificiis et conciliaribus, sive quia approbata sunt ab aliis Pontificibus, sive quia ab universa Ecclesia venerata sunt. Saltem ex sæculo VI ista capitula habita sunt ut documentum officiale fidei Ecclesiæ. Non est Celestini Papæ, sed additum est epistolæ Cœlestini. Continet definitiones pontificias contra Pelagianos. Doctrina, potius quam de peccato originali contra Pelagianos, agit de universalitate gratiæ necessariæ pro omnibus hominibus et pro omni actu salutari (hoc est dogma hic contentum): "neminem esse per semetipsum bonum; nemo nisi per Christum bene utitur

libero arbitrio; etiam iusti indigent gratia ad perseverandum; etiam initium bona cogitatio, bonum desiderium: exordia bonae voluntatis"; conclusio: ab ipsius gratia, hominis merita praeveniuntur.

b) De qualificatione theologica sententiae condemnatoriae abusus matrimonii in encyclica "Casti Connubii": utrum sit solemnis definitio ex cathedra quod onanismus sit semper peccatum mortale. Quidam affirmabant esse dogma quia Pontifex adhibet verba satis solemnia. Certe ad solemnem definitionem requiruntur haec elementa: quod loquatur ut supremus pastor et doctor, et quod velit adhibere supremam suam auctoritatem in pleno gradu. Quod hic loquatur ut supremus pastor et doctor patet; inquirendum restat utrum voluerit uti sua suprema auctoritate, ferendo sententiam definitivam.

Sed, admisso quod non sit dogma fidei, tamen doctrina ab eo promulgata certe est infallibiliter vera ex hoc capite: quod Papa verbis solemnibus authentice significet doctrinam ex antiquis temporibus ab ordinario et universali magisterio constanter propositam ut tenendam et observandam.

c) Casus de encyclica "Pascendi" contra Modernistas (Dz. 2071).

Non videtur esse definitio dogmatica, quia Pontifex, ut in encyclica "Casti connubii", non videtur ostendisse voluntatem ferendi ex tota sua auctoritate sententiam definitivam. Sed certe repraesentant doctrinam ordinarii magisterii, cui sub gravi obedire tenemur.

Multo minus decretum "Lamentabili" et ipsum contra Modernistas, habet valorem dogmatis fidei, quia hoc decretum emanat ex S. Officio. Quamvis iterum in illo decreto damnentur propositiones contra dogmata definita.

De iureiurando contra Modernistas agam postea quando loquar de symbolis.

3. Romanus Pontifex quando non manifestat voluntatem definiendi aliquam doctrinam, licet eam commemoret vel etiam illa utatur, non loquitur tamen de illa doctrina ex cathedra.

Nam infallibilitas est privilegium supernaturale, cuius usus dependet etiam ab activitate illius hominis qui ea gaudet. Ita defenditur Papa Honorius: adhibuit utique illam doctrinam de una voluntate in Christo, etiam forte affirmavit indirecte vel tamquam opinionem: sed hoc non est manifestare voluntatem illam definiendi (Dz. 2512).

4. Non omne decretum pontificium etiam authenticum, vel collectio propositionum damnatarum, est Locutio ex cathedra.

Ita Syllabus Pii IX (Dz. 1701). Quod documentum per se non est infallibile, sed recurrendum est, ad dignoscendam auctoritatem singularum propositionum, ad fontes ex quibus hae desumuntur, ut sunt allocutiones, encyclicae et reliquae eiusdem Pontificis. (Dz. 1700)

5. Non est infallibile documentum Pontificis ubi non constet quod loquatur ad universam Ecclesiam.

Nam infallibilitas data est Pontifici ut conservet unitatem Ecclesiae in fide christiana. Certitudo fidei iudicibus a Deo constitutis non propter

ecclesias privatas promissa est, quæ singulæ errare possunt, sed propter Ecclesiam universalem, quæ utique errare nequit. Unde quando aliquis episcopus vel diœcesis interrogat Papam vel S. Officium et responsum non dirigitur ad totam Ecclesiam, sed ad illum episcopum, non videtur infallibile, nisi Pontifex ostendat voluntatem definiendi.

Patet autem quod, licet Papa non reducat ad actum suam infallibilitatem, *semper tamen habet ius docendi, etiam in illis rebus vel casibus in quibus non sit infallibilis.* Et si habet ius docendi, omnes tenentur ad obœdiendum etiam in his in quibus non est infallibilis: sed de hac obœdientia postea.

Ut ergo habeatur locutio ex cathedra requiruntur quattuor:
a) quod Papa loquatur ad universam Ecclesiam;
b) quod adhibeat totam suam auctoritatem;
c) quod rem definitive dirimere velit;
d) quod agat de rebus fidei et morum.

Unde quod definitio sit solemnis non ex eo habetur quod quædam solemnitas exterior adhibeatur, sed quia ipsum iudicium speciale et ipsa sententia expressa in re tam gravi, ex sua natura solemnitatem induit.

CAPUT 4
QUID SIT ORDINARIUM MAGISTERIUM ET QUOMODO DOGMATA EX EO PROBARI POSSINT, SEU DE FIDE DIVINA ET CATHOLICA EX MAGISTERIO ORDINARIO

Quod existat magisterium ordinarium infallibile et quod ex eo possit esse aliquod dogma patet ex Concilio Vaticano (Dz. 1792), et ex bulla "MUNIFICENTISSIMUS":

"Itaque ex *ordinarii Ecclesiae Magisterii universali consensu* certum ac firmum sumitur argumentum, quo comprobatur corpoream Beatae Mariae Virginis in Caelum Assumptionem —quam quidem, quoad caelestem ipsam "glorificationem" virginalis corporis almae Dei Matris, nulla humanae mentis facultas naturalibus suis viribus cognoscere poterat — veritatem esse a Deo revelatam, ideoque ab omnibus Ecclesiae filiis firmiter fideliterque credendam."

Tribus modis exercetur:

I. MAGISTERIUM ORDINARIUM PER DOCTRINAM EXPRESSAM

Magisterium ordinarium exercetur primo per doctrinam expressam, quae communicatur extra definitiones formales, a Pontifice vel ab episcopis per totum orbem.

1. Etiam ibi ad habendum dogma debet patere quod res certo proponatur ut revelata. Sic in omnibus catechismis proponitur Limbus puerorum, sed numquam proponitur ut res revelata: unde non est dogma.

Ad quam doctrinam communicandam participant auctores praesertim probati ab Ecclesia, ut sunt Patres, Doctores Ecclesiae, theologi, quorum ipsa Ecclesia probat doctrinam tacite vel expresse, ut Alexander Alensis, Duns Scotus, Suarez, Lugo et omnes theologi qui cum approbatione Ecclesiae docent.

2. Licet magisterium ordinarium Pontificis possit de iure sufficere ut veritas quae proponitur ut de fide catholica, tamen secundum consuetudinem

Ecclesia pluries iudicavit necesse esse ut interveniret cum definitione solemni.

3. Quæ docentur infallibiliter a magisterio ordinario de rebus fidei et morum tanquam revelata, possunt et debent dici *de fide divina catholica tenenda*, licet de facto multi non dicant.

Do multa exempla notanda valde:

a) In encyclica "DIUTURNUM" origo divina potestatis civilis, a Papa docetur ut evidenter attestata a Scriptura et monumentis antiquitatis Christianæ (Dz. 1856).

b) In encyclica "ARCANUM" Leonis XIII *de Matrimonio* docetur divina institutio huius sacramenti, indissolubilitas eius et ius exclusivum et integrale Ecclesiæ in matrimonio christianorum (Dz. 1853).

c) In encyclica "PROVIDENTISSIMUS DEUS" hæc duo puncta sunt de fide catholica : *notio catholica inspirationis*, et absentia omnis erroris in textu fideliter conservato. Unde quod illi libri gaudeant in omnibus auctoritate infallibili (Dz. 1952) est de fide catholica licet non solemniter definitum.

d) In encyclica "IMMORTALE DEI" *docetur summa independentia Ecclesiæ* quæ habet ex institutione divina plenam et absolutam auctoritatem in suis rebus (Dz. 1866-67).

e) *Auctoritas dogmatica* SYMBOLI ATHANASIANI (Dz. 39) quæ provenit illi symbolo ex eo quod approbatum est a magisterio ordinario Pontificum qui illud in breviario recitandum proponunt.

f) Item docentur a magisterio ordinario: *veritates dogmaticæ* quæ continentur in professionibus fidei a Sancta Sede proposita, ut in SYMBOLO PAPÆ HORMISDÆ (Dz. 171), in PROFESSIONE PII IV (Dz. 994), in JUREJURANDO CONTRA MODERNISTAS (Dz. 2145): illæ propositiones quæ certo probantur hic doceri ut revelatæ, sunt de fide catholica. Si quædam non sunt revelata sunt tamen certissima, et etiam in his Papa est infallibilis, et illa negare esset peccatum mortale (puta quod Deus demonstretur). In symbolo Apostolorum et Constantinopolitano, ut patet, sunt omnia de fide catholica, etiam minimæ partes.

g) *Veritates dogmaticæ et morales* contentæ in liturgiis approbatis pro Ecclesia universali, præsertim veritates quæ respiciunt sacramenta, sacrificium Missæ, quæ erant de fide catholica etiam antequam definirentur a Concilio Tridentino.

h) *Veritates dogmaticæ et morales* quæ continentur in approbatione ordinum religiosorum facta a Pontifice pro tota Ecclesia, præsertim excellentia consiliorum evangelicorum et utilitas supernaturalis mediorum perfectionis quæ continentur in regulis. Si quis ergo sperneret consilia evangelica esset hæreticus.

4. Sunt quædam documenta pontificia quæ non est facile distinguere an sint ex magisterio ordinario vel solemni (sed talis distinctio est quæstio minoris momenti):

a) Tomus Leonis ad Flavianum episcopum Constantinopolitanum, ubi exponitur cum summa auctoritate fides de Incarnatione: quæ epistola a Concilio Chalcedonensi habita est ut iudicium doctrinale definitivum et obligatoria pro omnibus (Dz. 143).

b) Epistula dogmatica S. Agathonis, de duabus voluntatibus in Christo: est iudicium definitivum et irreformabile seu dogma fidei, quia Pontifex declarat esse extra fidem qui aliter sentiat (Dz. 288).

c) Bulla "Unam Sanctam": dogma habetur in fine ubi declarat submissionem necessarium omnium hominum Romano Pontifici (Dz. 469); non in omnibus aliis locis eiusdem habetur dogma fidei.

d) Constitutio "Benedictus Deus" Benedicti XII, relate ad visionem beatificam, quam animæ plene purificatæ habent immediate post mortem (cf. Dz. 530 et 531): hæc veritas est dogma fidei.

e) Constitutio "Cum occasione" Innocentii X damnans quinque propositiones Jansenii, omnes ut hæreticas (Dz. 1092).

Multa alia sunt in quibus *propositiones damnantur in globo*: unde non difficilius ex ipsis desumitur cum absoluta certitudine. Ita sunt:

a) Concilium Constantiense (Dz. 581);

b) Constitutio Innocentii XI damnans Michælem de Molinos (Dz. 1221 ss.);

c) Constitutio Innocentii XII damnans propositiones Fenelonis (Dz. 1327);

d) Constitutio Clementis XI damnans errores Quesnelii (Dz. 1351).

II. Magisterium ordinarium per doctrinam implicitam

1. Magisterium ordinarium exercetur secundo etiam per doctrinam implicitam quæ continetur in praxi seu vita Ecclesiæ.

Doctrina divina communicata Ecclesiæ ab ore Dei potest transmitti *per Traditionem oralem, scriptam*, vel *practicam*. Qui modi non sese excludunt: immo transmissio per praxim supponit semper saltem aliquam aliam doctrinam explicitam transmissam scripto vel prædicatione; quia vita moralis, ascetica, liturgica fidelium in tantum habet valorem Traditionis in quantum fundatur in aliqua doctrina; et ita quæcumque praxis christiana quæ pertinet ad Traditionem est coniuncta cum aliqua doctrina, quæ doctrina potest consistere in hoc quod talis praxis sit necessaria ad salutem, vel quod sit tradita Revelatione. Illa veritas præsupponitur a praxi atque ideo possum dicere quod continetur in ea vel ut causa vel ut conditio actionis.

Etiam Christus potuit aliquid docere per actionem suam, nihil dicendo: v.g. erga matrem suam: ubi res ipsæ et opera quibus ipse matrem honoravit clamabant, verba non erant necessaria.

Praxis autem potius quam in vita et actione fidelium est principaliter in actione Ecclesiæ hierarchicæ quæ talem praxim dirigit.

2. Licet liturgia non creet fidei dogmata, ut putant Modernistæ, tamen, quia exprimit fidem Ecclesiæ, liturgia probat multa dogmata atque ideo veritates theologice certas.

Liturgia non creat dogmata, quia fides revelata et dogmata nobis imponuntur ab extrinseco, i.e. a Deo, neque creantur a nobis. Exprimit tamen dogmata, quia, in modo quo Deum laudat vel orat, Ecclesia exprimit quid et qualiter et iuxta quos conceptus Deum publice coli velit. Et quamvis non repugnet Ecclesiam aliquando tolerare in rebus minoris momenti aliquam locutionem quam iudicat minus rectam, nequit tamen permittere ut nomine suo in liturgia dicantur contraria iis quæ ipsa sentit aut credit.

Ita ex Liturgia possunt probari hæc dogmata et quæ inde consequuntur:

a) *dogma Trinitatis*; sumas præfationem Missæ Trinitatis et totum officium quod videtur esse thesis theologica.

b) *divinitas Verbi* contra Arianos et Socinianos: ex multiplicibus officiis et festis.

c) divinitas Spiritus Sancti contra Macedonianos.

d) *de humanitate Christi* in omnibus festis incipiendo a Nativitate usque ad Ascensionem.

e) *virginitas Beatæ Mariæ* ante partum, in partu et post partum (cf. officium Nativitatis).

f) *primatus S. Petri*, etiam iurisdictionis, et primatus Romani Pontificis.

g) *quod simplices presbyteri sunt inferiores episcopis*, ut patet ex textibus Pontificalis romani.

h) per liturgiam *confutatur hæresis pelagiana et semipelagiana*. Pelagiani dicunt quod gratia non requiritur vel quod requiritur solum ad facilius posse. Semipelagiani quod non requiritur ad initium fidei et ad perseverandum: (cf. oremus).

i) *dogma peccati originalis*.

l) *dogma de Eucharistia*: sufficit officium S. Thomæ pro festo Corporis Christi. Dogma de præsentia reali in adoratione hostiæ.

m) *dogma de Purgatorio*.

n) *dogma de cultu et invocatione Sanctorum*.

o) *dogma de necessitate et integritate confessionis sacramentalis* implicite continetur in praxi pœnitentiali Ecclesiæ antiquæ.

p) *dogma Assumptionis* in festo Assumptionis, iam definitum.

3. Quoad vitam juridicam Ecclesiæ: concilia generalia vel Papa non possunt statuere leges quæ peccatum includant.

Nam Christus dedit Ecclesiæ potestatem iurisdictionis ut homines adducat ad vitam æternam; et si Ecclesia in suis legibus includeret peccatum

mortale, obligaret homines ad perdendam vitam æternam. Neque ex alia parte Deus potest dispensare a lege naturali. Quare Ecclesia non potest definire aliquid esse vitium quod honestum est, aut contra, esse honestum quod est vitium; nequit probare aliquid quod sit contra Evangelium vel rationem.

4. In *Codice Iuris Canonici* nihil potest esse quod sit aliquomodo oppositum regulis fidei vel sanctitati evangelicæ.

In Codice Iuris Canonici *sunt quædam dogmata*, quatenus Ecclesia docet quædam practicas et speculativas veritates, tamquam contentas in deposito Revelationis; vel quatenus explicat illas et proponit modo obligatorio: *sunt quædam quæ possumus dicere facta dogmatica* quatenus Ecclesia determinat in specie quædam quæ in lege divina vel naturali tradita sunt solum in genere, v.g. præceptum sese communicandi. Ecclesia in Codice infert etiam conclusiones magis vel minus necessarias ex veritatibus quæ sunt divinitus revelatæ, illasque iubet. Quæ omnia discerni possunt secundum subiectam materiam. Quare ubicumque Codex proponit doctrinam aliquam fidei et morum tamquam fundamentum præscriptionum suarum, hæc doctrina habenda est ut docta infallibiliter per magisterium ordinarium.

III. Magisterium ordinarium per tacitam probationem

Ordinarium magisterium exercetur denique etiam modo tacito, per tacitam probationem quam Ecclesia dat doctrinæ Patrum, Doctorum et theologorum.

Nam ipsa relinquit ut talis doctrina diffundatur per totam Ecclesiam. Sed hæc tacita approbatio non sufficit ut pateat ad habendum dogma.

Conclusio : vidimus ergo quid significet hæc nota *de fide divina et catholica*, i.e. dogma fidei seu veritatem a Deo revelatam et propositam ab Ecclesia. Quæ propositio potest fieri dupliciter: solemniter et ordinario magisterio: si fit solemniter generatim dicitur *de fide definita*; si fit per ordinarium magisterium absolute posset dici *dogma fidei* seu *de fide divina et catholica*. Advertas quod si quidam auctores, quando dicunt *de fide* sine addito, intendunt dogma fidei: utrum sit definitum solemniter vel non patebit ex natura documenti.

CAPUT 5
DE FIDE ECCLESIASTICA

1. Nunc quæstio est ista: utrum illa dictio "anathema sit" supponat semper quod in canone agatur de dogmate fidei.

Videtur dari casus in quo aliquis canon conciliaris *definiat aliquam veritatem non revelatam,* ut factum dogmaticum et propositionem theologice certam. Attendas quod non dico: *definiat ut dogma fidei,* sed simpliciter *definire.* Aliis verbis: non omnis definitio est dogma fidei. Ita Concilium Constantiense definivit legitimitatem ieiunii eucharistici et communionis sub una specie, dicendo simpliciter quod est erroneum hoc negare (Dz. 626).

2. Pontifices, etiam ex cathedra possunt damnare propositiones non necessario ut hæreticas, sed vel ut falsas vel ut scandalosas.

Ita in bulla "Auctorem fidei" (Dz. 1501 ss.). Similiter Pontifices aliquando definiverunt aliqua puncta doctrinæ ut tenenda, sed non ut tenenda de fide divina et catholica: ita Leo X de indulgentiis (Dz. 740a) et Clemens XI de silentio obsequioso (Dz. 1350). Vides ergo quod aliquando neque vox *definire* sufficit ad dicendum agi de dogmate fidei.

Est casus præsertim de actibus ex cathedra, ubi aliqua collectio propositionum damnatur simul in blocco. Tunc quælibet propositio est notata una vel pluribus ex illis qualificationibus inflictis, sed non necessario ex omnibus. Et inter illas qualificationes multæ sunt minus severæ quam damnatio hæreseos. *Ita damnatio Marsilii Patavini et Joannis Janduni* (cf. Dz. 497-500); *damnatio Ekardi* saltem pro propostitionibus ex 16 ad 26 (516 ss.); *damnatio Lutheri* a Leone X (Dz. 741-781); *Baii* a Pio V (Dz. 1001-1080); *Molinos* ab Innocentio XI (Dz. 1351, 1451); et *Syllabi* Pii IX (Dz. 1701-1780).

Ex his vides quod *locutio ex cathedra* non semper dicit dogmata. Item Pontifices aliquando obligant Ecclesiam ad admittendas quasdam veritates facti, *ut facta dogmatica,* v.g. quod quinque propositiones Jansenii sunt damnatæ in sensu obiectivo auctoris (Dz. 1098) vel nullitas ordinationum Anglicanarum atque ideo quod presbyteri Anglicani non habent

characterem sacerdotalem (Dz. 1966). Idem dicas de omnibus bullis canonizationum.

3. Etiam in his definiendis Papa et concilia sunt infallibilia, sed adhuc non est dogma fidei quod illi in his sint infallibiles.

Et praecise ut abstraheret ab hac quaestione, Concilium Vaticanum definiendo infallibilitatem Pontificis ex cathedra, loquitur de *veritatibus tenendis* (cf. Dz. 1839) et non adhibet verba de *veritatibus credendis* fide divina. Quod in his sit infallibilis est minimum, quia si est infallibilis, saltem in his debet esse infallibilis.

Nunc ergo fit ista quaestio: si quis negat hos canones, estne hæreticus? Quidam dicunt quod est reductive hæreticus, quatenus indirecte negat infallibilitatem Ecclesiæ. Sed potest responderi quod infallibilitas Ecclesiæ in his non est dogma fidei. Unde melius videtur dicendum hoc:

4. Potest dari aliquid de fide definitum, non necessario de fide divina et catholica, sed, ut videtur, dicendum *de fide ecclesiastica*.

Unde istæ veritates credendæ sunt non necessario cum fide divina sed de fide ecclesiastica.

5. A pari videtur posse dari aliqua propositio hæretica, non iam sensu stricto prout hæresis est contra fidem divinam, sed sensu magis lato quatenus hæresis est contra fidem ecclesiasticam.

Et probo:

6. "Anathema sit" non est aliud ac formula excommunicationis (cf. *Codex Iuris Canonici*, Canon 2257).

Causæ vero excommunicationis in decursu temporum possent esse multiplices; ita aliquando dicebatur "anathema sit" mulieri quæ assumebat vestem virilem, vel clerico qui capillum non tondebat. Etiam in conciliis œcumenicis "anathema" aliquando dicebatur directe de personis vel de scriptis, non necessario contra errores vel hæreses qua tales (cf. Dz. 223, et præsertim anathema celebre de tribus capitulis).

7. Etiam in conciliis modernis, ut in Tridentino, "anathema" est formula excommunicationis, et non necessario videtur semper supponere hæresim sensu stricto.

Et ostendo per exemplum: Dz. 976, hic non agitur de implicite revelato; nam ut veritas possit definiri ut de fide catholica, necesse est quod contineatur implicite in aliis explicite revelatis, sed per *continentiam* (*implicitam aut virtualem*) de iure, non solum de facto, ut inferius clarius explicabitur.

Aliis verbis oportet ut per *analysim deductivam* possit hæc veritas ostendi inclusa in explicite revelata. Nunc recogita millies illa verba "quodcumque solveris super terram", nunquam invenies exercitium dirimendi matrimonium per solemnem professionem religiosam.

Et ratio est quia hic *intrat factum novum contingens,* quod est liber interventus Ecclesiæ. Item repetas de omnibus decisionibus iuris canonici. Itaque hic videtur definita solum aliqua veritas de fide ecclesiastica. Potes dicere quod etiam iste est canon dogmaticus, quatenus definit factum dogmaticum, et quatenus revera cum ipso intellectu obligamur ad adhæsionem præstandam huic decisioni iuris ecclesiastici: est ergo realiter aliqua veritas, sed veritas alicuius facti quod connectitur cum dogmate, atque ideo veritas suo modo dogmatica.

Sed non videtur dicendus canon dogmaticus, si sumas *dogmaticum* quatenus supponat definitionem de fide divina et catholica. Neque potes dicere: est dogmaticus quatenus ille qui eum negat reducitur ad negandam veritatem revelatam, quæ est Ecclesiæ competere iurisdictionem ecclesiasticam; si hoc dicis, oblitus es quod in canone solum contradictoria propositio est stricte definita, non autem sunt definitæ illæ veritates quæ ipsi canoni sunt ut fundamentum. Utique qui negaret hunc canonem, sese certe exponeret ad hæresim: utrum esset hæreticus sensu stricto, disputari posset (sed certe esset excommunicatus).

Item de impedimento dirimente quod constituitur per ordinem sacrum et votum solemne castitatis (Dz. 979).

Factum obligationis sese communicandi tempore paschali (Dz. 891) vel confitendi peccata saltem semel in anno (Dz. 918), vel existentia subdiaconatus et ordinum minorum (Dz. 962) qui ordines omnes videntur esse institutionis ecclesiasticæ, qui ergo ordines sunt sacramentalia quædam potius quam Sacramenta. Si tu dicas quod Ecclesia nos obligat ad admittendos hos canones de fide catholica cum illo anathemate, deberes dicere quod hi ordines sunt revelati ab ipso Christo vel Spiritu Sancto, atque ideo sunt iuris divini. Melius ergo dicendum est quod anathema potest habere et aliam significationem.

Vulgata est authentica, prout in Ecclesia catholica legi consuevit (Dz. 784): est factum quod certe non est revelatum, et quod ideo nequit esse obiectum hæreseos strictæ dictæ. (n. b. tria diversa in illo canone, non confundenda: *inspirationem, canonicitatem, authentiam Vulgatæ*). *Canonicitas* est proprietas libri inspirati, quæ ei competit quatenus Ecclesia officialiter recognovit eum ut originis divinæ, mediante decisione publica et solemni, vel mediante praxi aut usu eiusdem libri dogmatico vel liturgico; et cum reponit in collectione authentica librorum inspiratorum, quæ collectio dicitur *canon*.

Inspiratio vero est proprietas quæ libro competit quatenus est originis divinæ; et continet inspiratio tria elementa: illustrationem in mente scriptoris, motionem in eius voluntatem, assistentiam in scribendo ne erret.

Authentia Vulgatæ est auctoritas quæ Vulgatæ competit quatenus in Concilio Tridentino recognita est ut verus et genuinus fons Revelationis, nullum continens errorem in rebus fidei et morum, et iuridice ut adhibenda in publicis lectionibus et prædicationibus. Unde vides quod authentia hic sumitur alio sensu ac quando dicitur liber authenticus et intelligitur liber vere scriptus ab illo auctore cui attribuitur, ut Evangelium Lucæ a S. Luca.

8. Ergo videtur quod Ecclesia definiverit quasdam veritates obiective novas (si comparamus ad veritates Revelationis).

Sunt illæ veritates quæ obtinentur ab aliqua veritate revelata, adiungendo aliam veritatem facti non revelatam. Ita Concilium Constantiense definivit ut theologice certam *liceitatem communionis sub una specie*. Propositio qua talis non est revelata, quia supponit aliquam veritatem facti, Revelationi extraneam, ut est hic liber interventus Ecclesiæ quæ determinat usum liturgicum. Est tamen theologice certum quia fundatur super hanc veritatem revelatam: Christus est integer sub utraque specie (Dz. 626), vel super hanc: Ecclesia habet plenam potestatem etiam in sacramenta, salva tamen eorum substantia (Dz. 931).

9. Ecclesia pluries definivit cum anathemate legitimitatem vel aptitudinem aliquarum expressionum dogmaticarum ad exprimendam veritatem.

Theologi communiter admittunt quod in aliqua definitione de fide catholica, sensus utique verborum est de fide, verba autem non sint de fide. Nam verba plus minus arbitrarie electa, non sunt unice apta ad exprimendum dogma: possent inveniri alia æque apta, immo magis apta. Et de facto aliquando quædam expressiones conciliorum et Pontificis non fuerunt aptæ: ita (Dz. 219) vox "theoria" ad characterizandam distinctionem duarum naturarum in Christo; vel Papæ Agathonis (Dz. 288) "sola contemplatione discernimus": adhuc minus apta fuit illa: "una natura Dei Verbi incarnata" (Dz. 258). Ergo licet verba possint mutari, tamen Concilium Tridentinum debuit sancire quasdam dictiones dogmaticas ut:

a) terminus *transsubstantiationis* (Dz. 884): factum huius convenientiæ certo non est veritas revelata; ergo potes dicere quod est factum dogmaticum vel propositio theologice certa, credenda non de fide divina et catholica, sed dicamus de fide ecclesiastica.

b) Dz. 912 "non recte appellari".

c) Dz. 953 certe redactio canonis Missæ non est veritas revelata.

10. Ecclesia definivit legitimitatem alicuius usus liturgici, vel decreti disciplinaris iuris ecclesiastici.

a) Ita (Dz. 856) licet isti ritus sint laudabiles, tamen non sunt instituti a Christo atque ideo non sunt revelati.

b) (Dz. 87): *chrismatio* multo probabilius est originis ecclesiasticæ, neque potest dici certo revelata; unde Concilium non potuit obligare ad illam credendam ut de fide catholica.

c) *De Eucharistia* (Dz. 888; 889; 892; 953; 954; 95G), clarum est quod isti usus sint puncta contingentia disciplinæ liturgicæ, vel mos ecclesiasticus (Dz. 881); hæc asserta certe non sunt formaliter revelata.

d) *De Pænitentia* (Dz. 918) est verus typus propositionis theologice certæ. Casum utilem ad consideranda offert nobis canon (Dz. 916). Quod confessio sacramentalis sit iuris divini patet; quod confessio secreta sit iuris divini dici non potest; et tamen in eodem canone definiuntur. Modus sese confitendi secreto non est revelatus, sed neque est pura inventio humana, quia magis est conformis ad naturam humanam.

Certe per illam oppositionem voluit Concilium evitare definitionem quod ille modus sit revelatus.

e) *De extrema unctione* (Dz. 928).

f) *De ordine* (Dz. 965); et tamen illa unctio est certe institutionis ecclesiasticæ.

g) *De matrimonio* (Dz. 979; 981). In materia disciplinari vel liturgica quod Ecclesia sit infallibilis adhuc non est dogma fidei, sed est conclusio theologica;

h) (Dz. 935) quod aliquod decretum iuris mere ecclesiastici sit rationabile non est obiectum fidei catholicæ.

Sed casus pulcherrimæ discussionis est in Dz. 977. Concilium ita voluit exprimere suam sententiam ne damnaret tanquam hæreticos Græcos qui contrariam praxim sequebantur, ne eos offenderet et magis alienaret ab unitate cum Ecclesia Romana. Unde Concilium noluit definire indissolubilitatem matrimonii ut veritatem revelatam. Et infallibilitas Ecclesiæ in hoc casu utique est definita, sed non videtur definita ut dogma fidei: nam si esset dogma fidei divinæ, ipse casus esset obiectum fidei; si Christus dicit: ego revelo quod Ecclesia in hoc casu est infallibilis, ipse videtur revelare illum casum; et ita Græci essent hæretici, quod Concilium certe noluit affirmare.

11. Conclusio: dicere "anathema sit" non est omnino idem ac dicere stricte *hæreticum*...

canonibus. Aliud patet: capita alicuius concilii, etiam in affirmationibus directis, aliquando non exponunt veritates de fide catholica, sed solum doctrinam theologorum ad modum decreti de Armenis (Dz. 695). Aliquando etiam possunt esse simplices constatationes historicæ.

12. Licet Concilium definiverit propositiones theologice certas vel facta dogmatica, eorum tamen naturam non mutavit adiungendo "anathema": quare hæ propositiones non sunt in se revelatæ, neque eas potuit Ecclesia ut revelatas definire.

Quis posset dicere: Christus eo ipso quod revelavit Ecclesiam esse infallibilem, revelavit omnes propositiones quas Ecclesia in decursu sæculorum definitura esset; sicut si dico in universale: omnes homines nascuntur in peccato originali, hoc affirmo de omnibus qui nascituri sunt. Respondeo: non est revelatum vel saltem adhuc non cognoscimus ut revelatum quod Ecclesia sit infallibilis in definiendis facto dogmatico et propositione theologice certa.

13. Illis factis dogmaticis et propositionibus ita definitis videtur esse assentiendum *de fide ecclesiastica*, et hæresis contraria posset dici *hæresis contra fidem ecclesiasticam*.

14. Illa fides ecclesiastica est vera obœdientia interior...

... i.e. per submissionem intellectus et voluntatis, et esset peccatum semper grave, saltem vitii temeritatis, nolle assensum illis definitionibus præstare.

Sed assensus præstandus est definitionibus prout sunt formulatæ: unde si definitio dicit: tu debes admittere quod Ecclesia in hoc ritu non errat, teneris ad hoc admittendum neque teneris ad admittendum quod ritus sub omnibus aspectibus sit melior quam alius possibilis.

15. Ex hac discussione vides quod non est facile statuere notam alicuius assertionis, et quare ipsi auctores tam parum conveniant in assignandis notis.

16. Ceterum bene scire notam theseos est summi momenti, quia nota est velut synthesis seu recollectio in uno verbo sive theseos sive argumentorum.

Nota est idem ac exponere quid sentiat Ecclesia de aliqua thesi quæ discutienda proponitur.

Si enim thesis sit dogma, maximum argumentum habebis ex documento Ecclesiæ; si sit theologice certa, debes bene respicere dogma coniunctum; si sit solum probabilior, patet quod erit thesis propria alicuius systematis: v.g. prædestinatio est post prævisa merita.

CAPUT 6
DE FIDE DIVINA SIMPLICITER, VEL UTRUM NORMA FIDEI PROXIMA IN QUIBUSDAM POSSIT ESSE S. SCRIPTURA[2]

1. Dum pro fide divina et catholica est necessaria propositio veritatis ex parte Ecclesiæ, nulla propositio datur ex parte Ecclesiæ pro fide simpliciter divina, neque titulo obiecti formalis partialis, neque titulo præviæ conditionis requisitæ.

Et probo variis argumentis posse dari aliquid simpliciter de fide divina: multi sunt christiani in bona fide apud Protestantes, qui, dum versantur extra veram Ecclesiam, non agnoscunt valorem infallibilem nostri magisterii, et tamen, admittentes summam auctoritatem Christi et Scripturæ, possunt et debent facere verum actum fidei et possunt salvari.

Si ergo quis dicat quod fides sit impossibilis sine propositione ex parte magisterii, nemo extra Ecclesiam posset habere veram fidem, quod repugnat. Amplius: etiam extra Ecclesiam catholicam sacramenta possunt valide administrari, atque ideo etiam fructuose accipi, si fideles aptis conditionibus ad ipsa accedant bona fide. Sed fructuosa susceptio sacramentorum in adultis necessario requirit fidem. Ergo etiam extra Ecclesiam potest dari vera fides divina.

2. Historica Evangeliorum et totius Scripturæ auctoritate semel probata et admissa, possunt dari multa quæ absolute constent etiam sine ulla propositione ex parte Ecclesiæ.

Fides enim divina consistit in hoc quod assensus intellectualis in divinam Revelationem detur propter summam Dei loquentis auctoritatem.

Ad quem assensum utique requiritur certitudo prævia facti revelationis; sed non requiritur certitudo metaphysica et absoluta, verum sufficit moralis, immo respectiva, iuxta saniorem sententiam theologorum.

Jamvero hæc certitudo de facto non raro acquiritur ex directo examine fontium sine ulla interpretatione ex parte Ecclesiæ: et etiam potest acquiri certitudo de aliqua veritate revelata.

Et do exemplum:

a) de messianitate et divinitate Christi: Jesus aperte affirmavit suam dignitatem Messiæ cum Samaritana, cum Petro, coram Caipha; et fecit miracula et protulit vaticinia ad hoc confirmandum: Deus autem nequit miracula facere ad confirmandum testimonium falsi prophetæ. Ergo etiam mere historice rem considerando, sine ullo magisterio, certo constat quod dignitas Messiæ sit revelata.

Omnino idem repetas de divinitate Christi.

b) factum resurrectionis Domini, de quo formulæ ecclesiasticæ et dogmaticæ certe non sunt clariores quam verba Evangelii: nam hoc factum est tam evidens ex vaticiniis, ex apparitionibus coram incredulis Apostolis, ex miraculis, ex prædicatione Apostolorum et ex conversione mundi, ut propositio ex parte Ecclesiæ nullam addat maiorem claritatem vel certitudinem. Unde etiam sine propositione Ecclesiæ potuisset et debuisset credi fide divina. Quod est mirum: factum magis difficile est magis evidens.

3. Immo, est quædam veritas de qua prima fides divina non potest esse ex propositione magisterii: est veritas institutionis ipsius magisterii authentici et infallibilis.

Ita proceditur in *De Ecclesia*.

Dico *primam fidem*: quia postquam via historico-critica ostensum sit magisterium a Christo institutum, et character catholico-romanus ipsius magisterii, patet quod possum credere Ecclesiæ definienti propriam infallibilitatem; sed antequam illud magisterium probatum sit, ***non possum recurrere ad magisterium infallibile ad probandum quod Christus revelavit magisterium infallibile***; aliis verbis: si nescio factum Revelationis, non possum credere Ecclesiæ quando definit; si scio factum Revelationis, quod Ecclesia sit ita instituta, possum hoc credere etiam antequam hoc sit ab Ecclesia definitum.

Nec potes recurrere ad viam empiricam dicendo: Ecclesia Romana asserit se esse veram Ecclesiam, infallibilem et unicam viam salutis: et Deus approbat hoc testimonium Ecclesiæ Romanæ efficiendo quod Ecclesia Romana sit miraculum permanens ob suam originem, diffusionem, stabilitatem, unitatem, sanctitatem, fœcunditatem mirabilem; ergo testimonium Ecclesiæ Romanæ est verum. Utique valet hoc ratiocinium, sed tota eius vis nititur non in testimonio Ecclesiæ Romanæ, sed in miraculis quæ Deus fecit in ea. Aliis verbis: quod illud testimonium

Ecclesiæ Romanæ sit verum et approbatum a Deo, patet non ex ipso solo testimonio, sed ex miraculis.

4. Licet custodia atque explicatio depositi fidei sit concredita Ecclesiæ, cuius propositio est regula proxima fidei in his quæ proponuntur, nihil impedit quod theologus possit adire directe ipsas fontes Revelationis, scilicet Scripturam et Traditionem, et quod ibi reperiat signa certa quod aliqua veritas sit revelata; quam ergo credere debet fide divina, quia scit evidenter esse revelatam.

Hoc ergo est signum ad cognoscendam hanc notam *de fide divina*: quando res inveniatur evidenter in Scriptura et Traditione ut res revelata, neque tamen adhuc proponatur explicite ab Ecclesia.

5. Inveniuntur multa in Scriptura, quorum licet proponatur ab Ecclesia in genere factum inspirationis, non habetur tamen explicita propositio ex parte eiusdem Ecclesiæ: quæ, ubi sunt clara, patet quod debeant credi fide divina.

6. Licet circa multa sit propositio Ecclesiæ, theologus non indiget hac propositione, ubi sunt nimis clara ad fidem divinam concipiendam.

Ita de divinitate Christi.

7. Fides divina, ut patet, essentialiter non differt a fide divina et catholica...

... sed solum, ut ita dicam, extrinsece quatenus scilicet una proponitur a Deo, alia a Deo et ab Ecclesia: quæ tamen Ecclesia nihil facit nisi nobis transmittere testimonium Dei.

8. Ad eliciendum actum fidei divinæ non est necesse considerare divinas Scripturas ut inspiratas, ad quod, saltem pro Scriptura qua universa, requiritur propositio ex parte Ecclesiæ.

Nam factum divinæ Revelationis potest demonstrari ex Scripturis historice consideratis, ut fit in theologia fundamentali. Imo ipsa inspiratio, saltem pro antiquo Testamento, potest demonstrari sine ulla propositione ecclesiastica.

9. Immo, fides simpliciter divina potest esse tam firma et absoluta quam fides divina et catholica.

Ita fideles in Veteri Testamento habebant fidem divinam eandem ac nos nec tamen habebant magisterium infallibile. Quod si dicis quod habebant prophetas, patet quod si ipsi ex prophetis poterant cognoscere factum Revelationis et credere, multo magis nos possumus cum solis prophetis et cum Christo credere sine propositione Ecclesiæ.

10. Ceterum dantur in Scriptura quædam ita evidentia ut fere ab omnibus admittantur, et quædam ita difficilia ut requirant propositionem ex parte Ecclesiæ.

Hoc dictum sit præsertim de Novo Testamento, quia de Veteri Testamento, etiam de meris factis historicis, interpretatio non est facilis.

11. Do *exempla* aliquarum veritatum quæ videntur esse *de fide solum divina*:

a) Quod Jesus Christus inde ab initio vitæ publicæ testatus sit se esse Messiam a prophetis prædictum;

b) quod Christus meruerit sibi animæ impassibilitatem, corporis gloriam et nominis exaltationem;

c) quod fides sit firmissima; quod motivum spei sit Deus auxilians.

Et omnes illæ veritates, quia cum vera certitudine probantur ex S. Scriptura, licet adhuc non proponantur explicite ab Ecclesia. Quæ veritates non sunt paucæ, nisi velimus esse ut morosi rationalistæ.

CAPUT 7
QUID REQUIRATUR UT EX SCRIPTURA COGNOSCATUR ALIQUID ESSE DE FIDE

1. Canon librorum sacrorum potest determinari solum ab Ecclesia.

Nam Ecclesiæ concreditum est totum depositum Revelationis.

2. Si quis liber reiectus sit ab omnibus ecclesiis, *non potest intrare in Canonem.*

Ceterum. Ecclesia Romana, quia infallibilis, non potest reicere aliquem librum qui sit inspiratus.

3. Ut stabiliatur quinam sit textus originalis, recurrendum est ad sanam et catholicam criticam.

4. Authentia Vulgatæ importat quod ipsa quoad substantiam et in genere correspondet textibus originalibus in rebus fidei et morum et in omnibus partibus substantialibus.

5 Potest dari aliqua Vulgata melior quam nostra in rebus accessoriis.

6. Vulgata, non ex eo quod declarata est authentica, præferenda est textui originali.

Nam illa authentia non est declarata in comparatione cum textibus hebraico et græco, quasi ipsa sit melior, sed in comparatione cum aliis versionibus latinis. Unde illi textus manserunt cum tota auctoritate quam habent in se.

7. Vulgata potest habere et de facto habet errores in rebus accessoriis (non autem in rebus fidei et morum).

8. Vulgata potest continere textus non authenticos.

Nam Concilium noluit extendere decretum authentiæ ad singulas propositiones nostræ Vulgatæ.

9. Concedere licet, sine læsione decreti tridentini, quod in Vulgata possit deesse aliquis textus dogmaticus qui fuerit in textu primitivo.

10. Est de fide catholica quod tota Scriptura sit inspirata; est saltem theologice certum quod sit inspirata etiam in minimis partibus.

11. Est dogma fidei quod inspiratio excludat omnem errorem in libro inspirato ...

... encyclica *Humani Generis* docente:

"plura etiam a nonnullis proponuntur vel mentibus instillantur in detrimentum divinæ auctoritatis Sacræ Scripturæ. Etenim sensum definitionis Concilii Vaticani de Deo Sacræ Scripturæ auctore audacter quidam pervertunt; atque sententiam, iam pluries reprobatam, renovant, secundum quam Sacrarum Litterarum immunitas errorum ad ea solummodo, quæ de Deo ac de rebus moralibus et religiosis traduntur, pertineat."

12. Inspiratio sese contemperat ad usum componendi apud populos orientales, ad adiuncta temporis et hominis qui recipit inspirationem.

13. Inspiratio non excludit ista dubia:

a) utrum auctor inspiratus usus sit *fontibus*;

b) *quando* liber scriptus sit.

Neque excludit:

c) dubia circa *auctores* singulorum librorum, nisi in ipso libro evidenter pateat;

d) dubia *de transpositionibus*;

e) utrum liber sit *historia sensu stricto vel narratio idealizata*.

Ita non esset hæreticus si quis sustineret quod liber Tobiæ, Judith, Ester, Ionæ, ubi est narratio de Iona in ventre piscis, Canticum canticorum, quædam libri Danielis, ut regis reducti ad vitam animalis, non sit vera historia, sed historia idealizata (Dz. 1980). Ex hoc tamen non sequitur quod hæc sustineri possint.

14. Multiplex distinguitur sensus S. Scripturæ.

Distinguendum est ante omnia inter *significationem* et *sensum* alicuius vocis. Dum enim una vox potest habere plures significationes, ut patet ex lexicis, sensus e contra quem vox hic et nunc habet in contextu orationis est iste et non alius; accedit ad suppositionem de qua in logica.

Ita: "*Pater*" loquendo de Deo potest sumi personaliter et essentialiter, et si sumitur essentialiter, dicitur ex diversis rationibus: ex creatione, ex adoptione, ex hereditate.

Quia vero conceptus mentis manifestari potest aut verbis seu per signa conventionalia, aut rebus (utique et ipsis manifestatis per verba ubi agatur non de facto præsenti), prima magna distinctio sensus Scripturæ est:

a) LITTERALIS (historicus) — ille qui eruitur ex verbis (littera) auctoris, et

b) TYPICUS — quando res vel facta expressa per verba ex divina ordinatione sunt figuræ aliarum rerum.

Sensus litteralis sua vice potest exprimi *vel verbis propriis* in quibus tamen, licet sint propria, non est semper facile videre sensum: *vel verbis translatis, tropicis, metaphoricis* ut per synecdochen, metonymiam, metaphoram; *aut locutionibus figuratis* ut emphasi, (hyperbole): "si hi tacuerint, lapides clamabunt;" *reticentia*; *aut etiam translatione totius orationis vel integri sermonis*, ut in parabola, allegoria; symbolis ut esset manum lavare ad significandam innocentiam vel illæ actiones symbolicæ quæ occurrunt in prophetis.

15. Regulæ ad interpretandam Scripturam sunt istæ præsertim:

a) Interpretanda est *secundum sensum quem tenet Ecclesia.*

b) Nemo potest se ponere in contradictione cum interpretatione unanimi Patrum, ubi agatur de rebus fidei et morum.

c) Omnes sese debent conformare ad analogiam fidei, i.e. ad illam solidarietatem quæ connectit omnia dogmata inter se. Unde si interpretando Scripturam devenies ad aliquid quod est contra aliquod dogma, etiam de quo non sit sermo in illo loco Scripturæ, certe interpretatio est falsa. Ceterum idem valet de rebus philosophicis.

d) Omnis textus est interpretandus in contextu Scripturæ universæ incipiendo a primo versiculo Genesis usque ad ultimum Apocalypseos. Principium aureum quod tibi dabit clavem ad multas difficultates solvendas.

e) Vituperandi sunt secundum Encyclicam "HUMANI GENERIS" illi qui "... perperam loquuntur *de sensu humano* Sacrorum Librorum sub quo sensus eorum divinus lateat, quem solum infallibilem declarant".

f) Neque minus reprehendendi sunt secundum eamdem Encyclicam qui dicunt quod:

> "... sensus litteralis Sacræ Scripturæ eiusque expositio a tot tantisque exegetis, vigilante Ecclesia, elaborata, ex commenticiis eorum placitis, *novæ cedere debent exegesi, quam symbolicam ac spiritualem appellant*; et qua Sacra Biblia Veteris Testamenti, quæ hodie in Ecclesia tamquam fons clausus lateant, tandem aliquando omnibus aperiantur. Hac ratione asseverant difficultates omnes evanescere, quibus ii tantummodo præpediantur, qui sensui litterali Scripturarum adhæreant".

g) In specie vero circa libros historicos:

> "... deploranda est quædam nimis liberior libros historicos Veteris Testamenti interpretandi ratio, cuius fautores Epistulam haud ita multo ante a Pontificio Consilio de re biblica Archiepiscopo Parisiensi datam ad suam defendendam causam immerito referunt (die 16 ianuarii 1948: A.A.S. vol. XL, pp. 45-48). Hæc enim Epistola aperte monet *undecim priora capita Geneseos*, quamvis cum historicæ compositionis rationibus propriæ non conveniant, quibus eximii rerum gestarum scriptores græci et latini, vel nostræ ætatis periti usi fuerint, nihilominus quodam vero sensu, exegetis amplius investigando ac determinando, *ad genus historiæ pertinere*; eademque capita, oratione simplici

ac figurata mentique populi parum exculti accommodata, tum præcipuas veritates referre, quibus æterna nostra procuranda salus innititur, tum etiam popularem descriptionem originis generis humani populique electi. Si quid autem hagiographi antiqui ex narrationibus popularibus hauserint (quod quidem concedi potest), numquam obliviscendum est eos ita egisse divinæ inspirationis afflatu adiutos, quo in seligendis ac diiudicandis documentis illis ab omni errore immunes præmuniebantur."

16. Est unanimis consensus Patrum etiam quando multi affirmant aliquam interpretationem et alii non contradicunt.

17. Extra res fidei et morum tanta est auctoritas Patrum in interpretanda Scriptura quanta est vis eorum argumentorum.

Nam in his Patres sunt sicut ceteri auctores, quos potes crisi subiicere.

V.g. in quæstione utrum Iudas in ultima Cœna exierit ante institutionem Eucharistiæ vel postea, multi Patres putaverunt quod etiam Iudas receperit Eucharistiam et argumentum eorum erat quod S. Lucas postquam narravit institutionem Eucharistiæ ponit in ore Christi illa verba: "Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa". Sed argumentum non probat quia S. Lucas non semper narrat secundum ordinem chronologicum.

18. Ecclesia in liturgia et etiam alibi utitur Scriptura *sensu* etiam *accommodatitio*.

Quare ex hoc sensu nihil potest probari cum certitudine.

19. Quæ sint res in quibus Ecclesia sit infallibilis, ad ipsam Ecclesiam pertinet definire.

20. Etiam in rebus fidei et morum non contradicit Ecclesiæ qui novo sensu ita textum interpretatur ut ille sensus non excludat sensum Ecclesiæ.

Nihil vetat quod illa verba: "Hoc est corpus meum" sumantur etiam sensu mystico; vel illa voce "petra" intelligantur etiam Apostoli aut ipse Christus, aut confessio divinitatis Christi.

21. Sensus accommodatitius nullam habet vim ad convincendum.

Utique posset esse argumentum ex Traditione, v.g. in aliquibus textibus Scripturæ qui adhibentur pro Conceptione, et Assumptione.

Unde quando explicas Evangelium coram populo die dominica primum punctum est videre sensum litteralem, quod non est semper facile, v.g. de illo villico infideli quem Dominus laudavit. Alioquin explicabis verba tua, sed non verbum Dei.

Pro illis veritatibus quæ sunt necessariæ ad salutem Deus ita loquutus est in Scriptura sive alio modo ut omnes [illegible] prudens necessario [illegible]

exclusum; sed simul non cum illa necessitante claritate ut dubio imprudenti nequeat esse locus, ut est in mathesi. Hoc facit ut nostrum studium in quærendo et meritum in credendo sit maius. Ita etiam in gubernio Divinæ Providentiæ et in veritate Ecclesiæ Romanæ pro Protestantibus.

22. Textus particulares, de quibus est definitum ab Ecclesia quod talis est sensus, sunt pauci.

a) directe definitum est a Concilio Tridentino Apostolum in epistula ad Romanos V, 12 loqui de peccato originali, rem ut vides non facilem (Dz. 791).

b) Ex Joanne III, 5 constare de necessitate absoluta Baptismi et aquam veram et naturalem esse de necessitate baptismi (Concilium Tridentinum, sessio V, canon 4; Dz. 791 et 858).

c) verba institutionis SS. Eucharistiæ sensu proprio et non metaphorico esse intelligenda (Dz. 874).

d) Ex Joanne XX, 23 traditam esse Ecclesiæ potestatem remittendi et retinendi peccata (Dz. 894).

e) Iacobum V, 14 contineri promulgationem sacramenti Extremæ Unctionis (Dz. 908).

f) Concilium Vaticanum definivit ex Matthæo XVI, 16 et Joanne XXI, 15 primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam Petro promissum et collatum ita esse interpretandum (Dz. 1822).

23. Ubi magisterium Ecclesiæ affert textus, etiam in rebus fidei et morum, sed mere suadendo et non definiendo textus Scripturæ, adhuc non constat illum sensum esse definitum.[3]

Aliis verbis, potes sensum textus interpretari alio modo. Exempla:

a) (Dz. 432) "Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est": potest significare vel oves, vel Ecclesiam, vel potentiam, vel officium Redemptoris, vel naturam divinam.

b) (Dz. 930) "qui manducat hunc panem vivet in æternum": ex eo quod ista verba referantur accepta hoc sensu quod sufficit communicari sub una specie, non est tamen dogma quod iste sit sensus litteralis illius sententiæ Christi, quia hoc synodus non intendit definire.

> Utique est definitum quod sufficit una species; sed illa verba referuntur ad modum motivi. Et *motiva non sunt definita nisi concilium id declaret explicite.*

24. Ex alia parte tamen illi textus, ex eo quod afferuntur in documento officiali, habent multum valorem quem plene percipere pertinet ad theologum.

---

[3] Ut patet ista propositio loquitur de textibus qui non afferuntur ut fundamentum definitionis.

CAPUT 8
QUID SIT ERROR IN FIDE

Qui negat rem evidenter contentam vel in Scriptura vel in Traditione ut revelatam, committit peccatum mortale contra fidem divinam, sed non est hæreticus quia non se separat a sententia expresse proposita ab Ecclesia.

Aliqui hanc vocant *erroneam in fide*: *error* enim, si sumitur sensu stricto, non est solum aliquid falsum, sed *falsum quod opponitur vero evidenti*, vel certo, quod apud omnes communiter pro certo scitur. (Dz. 1516: distinguit inter falsum et erroneum). Sic in philosophia non quælibet opinio falsa dicitur *error*, sed quæ opponitur sententiæ certæ, et pro tali apud philosophos receptæ. Ita in theologia dicitur error quæ alicui veritati adversatur quæ apud catholicos pro certa habetur. Hic vero dicitur *error in fide*, ut distinguamus hanc propositionem ab alia quæ etiam evidenter est error, quatenus opponitur propositioni certæ, sed certæ in theologia: unde dicitur error in theologia.

CAPUT 9
QUID SIT PROXIMA FIDEI

Notio satis propinqua ad *de fide divina* est *proxima fidei.*

Proxima fidei **est illa sententia quæ, licet fere unanimi consensu habeatur ut revelata, adhuc tamen non est proposita expresse per magisterium.**

Exemplum de doctrina satisfactionis Christi et quod totum genus humanum procedat solum a duobus: Adam et Eva, contra polygenismum. Aliis verbis: *sunt quædam propositiones quæ, licet non omnino certo, tamen probabiliter et, ut plerumque videtur, sunt de fide.* Sic vides cur quidam dicant proximum fidei quod alii dicunt de fide: satisfactio Christi. Est ergo fere seu proxime de fide quæ plerisque apparet de fide. Ipsa vox proximitatis indicat propinquitatem maximam quam propositio non habet ex eo quod ab uno vel ab altero, sed ex eo quod a pluribus, et cum gravi fundamento, ut de fide habetur.

CAPUT 10
QUID SIT DOCTRINA CATHOLICA

Notio quæ est satis affinis notioni "fidei proximæ" est "doctrina catholica".

1. Dicitur *doctrina catholica* propositio quæ sit revelata, neque tamen ab Ecclesia adhuc proponitur ut revelata, sed communiter in scholis proponitur ut certa et ut revelata.

Accedit ergo ad "fidei proximam," sed in ea minus clare apparet quod sit revelata, clare autem quod sit certa.

Secundum quosdam (Franzelin) hæc esset alia species propositionum theologice certarum; secundum alios hæc species propositionum theologice certarum dicitur *doctrina catholica*. Pro aliis e contra *doctrina catholica* est idem ac *fidei proxima*.

2. Doctrinæ quæ non proponuntur formaliter et categorice ut verbum Dei, sed tamen expresse et authentice docentur, dicuntur *doctrinæ catholicæ*:

Encyclica "HUMANI GENERIS" testante:

"Quodsi Summi Pontifices in actis suis *de re hactenus controversa data opera sententiam ferunt*, omnibus patet rem illam, secundum mentem ac voluntatem eorundem Pontificum, *quæstionem liberæ inter theologos disceptationis iam haberi non posse*" (p. 568).

Quare veritates quæ possent esse vere dogmata et quæ ita erunt si definiantur et quæ nunc sunt dogmata materialiter, nunc possunt considerari ut doctrina Ecclesiæ catholicæ.

3. Ceterum campus doctrinæ catholicæ est amplissimus.

Omnia enim quæ inveniuntur *in encyclicis* et aliis documentis officialibus, si non potest probari quod sunt dogmata vel *de fide divina*, potest semper dici quod est *doctrina catholica*. Quare quando aliqua thesis potest probari cum tali documento, potest saltem dici quod est *doctrina catholica*. Ita etiam loquebatur Pius IX. et Pius XII in Encyclica "HUMANI GENERIS", ubi dicit

"Neque putandum est, ea quæ in Encyclicis Litteris proponuntur, assensum per se non postulare, cum in iis Pontifices supremam sui Magisterii potestatem non exerceant. Magisterio enim ordinario hæc docentur, de quo illud etiam valet: 'Qui vos audit, me audit;' (Luc. 10, 16) ac plerumque quæ in Encyclicis Litteris proponuntur et inculcantur, iam aliunde *ad doctrinam catholicam pertinent*" (p. 568).

Exempla: "Lamentabili" (Dz. 2001 ss.); Encyclicæ, ut "Pascendi" et Leonis XIII; damnationes in globo, ut Baii, Quesnelii, Molinos et multæ damnationes circa res morales.

Exempla in specie sunt ista: quod ratio naturalis docet omnes homines debere profiteri religionem: est doctrina catholica et probatur cum encyclica; ita quod Deus in scribendis libris sacris adhibuit homines ut auctores veros, per modum instrumenti; quod anima creatur, contra traducianismum spiritualem, est saltem doctrina catholica; (contra traducianismum materialem, quasi anima derivaret a materia, est dogma fidei).

CAPUT II
QUID SIT THEOLOGICE CERTUM

I. Definitur quid sit *theologice certum* et criteria ad ipsum dignoscendum.

Duo elementa definiunt quænam sit propositio theologice certa: unum positivum, aliud negativum.

Positivum est certitudo veritatis ipsius propositionis theologice certæ, quæ certitudo habetur ex universalitate consensus ut in propositionem theologice certam, vel saltem ex intimo nexu cum doctrina fidei. Negativum est quod ista propositio non proponitur et prædicatur ut certo revelata ac de fide. Ratio vero cur non censeatur esse simpliciter de fide, licet universaliter teneatur ut certa, potest esse duplex: vel quia non constat sufficienter quod consensus sit in eam non solum ut in propositionem veram sed etiam ut in propositionem revelatam et de fide credendam, atque ideo antequam de illa definitio Ecclesiæ existat, theologi generatim fateantur non posse dici simpliciter de fide; vel quia est *conclusio theologica* deducta ex una quidem propositione revelata, ex alia vero certa aliunde, scilicet vel theologice vel lumine rationis.

1. *Theologice certa* est quæ admittitur ab omnibus scholis ut intime connexa cum Revelatione.

Est conclusio theologica (non dico *scholastica*). Ex hac propositione patet quod omnes theses systematicæ seu propriæ alicuius systematis non sunt theologicæ certæ; seu theses de quibus admittitur disputatio inter catholicos non sunt theologice certæ. Ita: de uno esse in Christo, quod non detur reprobatio negativa; et de medio cognitionis futuribilium ex parte Dei; quomodo sit quantitas et statura naturalis in Christo in Eucharistia; quomodo sit explicandus influxus Dei in hominem inspiratum

Quando ergo in aliqua thesi habetur ut *adversarius aliquis theologus catholicus* qui non sit evidenter damnatus ab aliquo documento officiali, vel cuius doctrina non sit evidenter inconciliabilis cum doctrina alicuius concilii vel Pontificis posterioris illi theologo, vel cuius sententia non sit evidenter derelicta ab omnibus posterioribus theologis, ut sæpe evenit v. g.

Durando et Occam aut Biel: *signum est quod thesis dici non potest theologice certa.*

2. Intime connexa cum Revelatione, seu virtualiter revelata, seu theologice certa est illa quæ deducitur ex una certo revelata et ex alia certa, licet non revelata.

Potest esse certa ex quocumque campo, sive philosophico, sive theologico, sive historico. Quod requiritur prævia certitudo facti Revelationis *est theologice certum*: ex eo quod actus fidei est (*dogma*) rationabilis et irrevocabilis; quod ad cognoscenda miracula non requiritur per se lumen supernaturale, quia definitum est miracula esse signa certissima facti Revelationis: quod non esset verum si subiective convincere non possent intellectum sine illo lumine; quod inspiratio dicat illustrationem intellectus, motionem voluntatis et assistentiam: quia definita est natura inspirationis (Dz. 1787): Deus est auctor Scripturæ universæ; quod exsistentia Dei demonstrari potest; quod naturalis Dei cognitio in hac vita est solum mediata: quia in Concilio Viennensi damnatum est quod visio beatifica sit naturalis: sed perceptio immediata Ontologistarum videtur esse idem ac visio beatifica; quod cognoscimus Deum per formam propriam: nam naturalis cognitio non est nisi mediata, ut patet contra Ontologistas (hoc deducitur ex una revelata et alia theologice certa): ergo non est per formam propriam.

3. Non est *conclusio theologica*, neque est ideo *theologice certa* illa quæ solum probabiliter et non evidenter deducitur ex principiis revelatis.

Exemplum: quod visio Dei sit *absolute* supernaturalis est communis doctrina.

4. Sunt theologice certæ propositiones in quibus omnes scholæ conveniunt ut in propositiones certas, sed non conveniunt ut in propositiones revelatas et de fide credendas.

Signum quod sint theologice certæ est consensus ille qui non posset adesse si res non sit intime connexa cum revelatis: nam in aliis rebus, puta in thesibus quibusdam philosophicis, videmus adesse in scholis multas discrepantias. Ita intelligis hanc notam quæ aliquando datur: est theologice certum *ex consensu theologorum* quod anima Christi habuerit gratiam habitualem et visionem beatificam.

Dogmata hic sunt pro visione beatifica unio hypostatica, pro gratia habituali quod Christus est causa meritoria nostræ iustificationis.

5. Ut intelligas quæ sit propositio theologice certa, scias esse contradictoriam illarum quæ dicuntur erroneæ.

a) *Est erronea illa* quæ opponitur alicui propositioni quæ, cum sit certa, tamen non est certum esse de fide;

b) *vel quando oppositio*, licet contradictoria sit certe de fide, *non sit omnino certa et indubitata*. Aliis verbis hic disputatio esset de ipsa oppositione (de ontologismo cf. P. Lennerz, *de Deo uno*, pag. 65: requiritur ratiocinium ad ostendendam illam oppositionem);

c) *quæ negat immediate propositionem quæ non est de fide*, sed conclusio theologica deducta evidenter ex una de fide et altera evidenti solum lumine naturæ, v.g. soli Episcopi sunt successores Apostolorum.

Hic verificatur notio erroris supra explicata. Qui enim negat conclusionem theologice certam non est hæreticus, quia non negat aliquid formaliter revelatum, nisi neget etiam præmissam de fide ex qua infertur; errat tamen gravissime, quia negat id ex quo negato convinci potest, adhibito alio principio naturali evidenti, ad negandum obiectum fidei (exemplum : de infallibilitate in conclusionibus theologicis et in factis dogmaticis). Qui enim negat conclusionem theologicam deductam evidenter ex præmissa certa de fide et ex alia præmissa evidenti ex lumine naturæ, eo ipso deducitur necessario ad negandam præmissam de fide, quantum est ex parte obiecti negari, quia præmissa evidens naturaliter necessitat ad eam non negandam; constat autem ex logica quod non potest conclusio esse falsa nisi una ex præmissis sit falsa, quia falsum non procedit a vero sed solum a falso, licet verum posset deduci a falso. Cum ergo etiam illatio sit evidens et negari non possit, est necesse quod neget præmissam de fide, quæ sola potest libere negari, quia alia est naturaliter evidens.

6. Quare signum certum et facile ad cognoscendam aliquam propositionem theologice certam est considerare an ex negatione eius sequatur negatio alicuius dogmatis.

Cf. thesis de virtualiter revelatis et de factis dogmaticis; de singulis partibus quæ sunt inspiratæ.

7. Sæpe nostræ theses, quamvis sint desumptæ ex conciliis, tamen non sunt dogmata sed solum theologice certæ, quia continent aliquam determinationem quæ non est in concilio et quæ tamen ex concilio deducitur.

Concilia enim solent habere hanc regulam: eligunt in definiendo aliquam formulam satis genericam quæ possit explicari secundum varia systemata theologica; quia concilium vult, ut ita dicam, respectare seu salvare omnia systemata, si non sint evidenter falsa. Quare definiunt minimum quod sufficit ad excludendum errorem contrarium. In libris autem theologorum res proponitur cum aliqua determinatione maiori, quæ certe immediate deducitur ex definitione, sed tamen in illa non invenitur. *Theologus autem* habet determinationem maiorem, quia hic præcise est

unus ex scopis præcipuis theologiæ : deducere ex principiis fidei conclusiones, ut comprehensio et extensio dogmatis distincte pateat in suis consequentiis.

Dico quod ita augetur comprehensio textus: v.g. est definitum factum inspirationis et illud analyzando pervenio ad illa tria elementa: motionem in voluntatem, illustrationem in intellectum, assistentiam in executione. Extensio: est dogma quod Christus passus est pro nobis; extendo illud et dico etiam pro omnibus hominibus. Do multa alia exempla.

Existentia Dei demonstrari potest: Concilium dicit: "cognosci". Saltem theologice certum est quod anima sit immortalis natura sua, quia Concilium dicit quod est immortalis. Quod protoparentes constituti sint in gratia, est saltem theologice certum; Concilium dicit quod constituti sunt in iustitia et sanctitate originali: et hoc est dogma fidei.

Quod peccatum originale non consistat formaliter in concupiscentia est theologice certum, quia definitum est quod peccatum originale per baptismum aufertur et tamen concupiscentia manet.

De tenendis in Concilio Vaticano: (Dz. 1839) definit "tenendum": non dicit *credendum*: ex quo deducitur esse infallibilis etiam in veritatibus connexis, quod est theologice certum. De iustitia quod non sit mere forensis est definitum; est saltem theologice certum quod sit aliquid permanens physice in anima nostra.

II. QUOMODO EX DOGMATE DEDUCANTUR *THEOLOGICE CERTA*[1]

Ex aliquo dogmate videbis quid sit theologice certum si:
a) ante omnia eliminas quæ non sunt definita; et hæc sunt: vox ipsa, imago phantastica, conceptus technicus;
b) deinde præcise discernas punctum definitum;
c) demum si attente consideres quæ necessario ab hoc dogmate præsupponuntur vel cum eo sunt necessario connexa, vel ab eo necessario deducuntur.

1. Voces, ut patet, non sunt definitæ.

Si quis velit adhibere alium terminum ad significandam revelationem supernaturalem, vel mysterium, vel dogma, vel fidem, vel Trinitatem, vel unionem hypostaticam, vel gratiam, non est hæreticus: verba enim sunt signa conventionalia, licet in usu verborum nemo debeat recedere a sensu communi: ideo Apostolus prohibuit etiam vocum novitates, quia sola vox male electa potest esse causa multarum litium et revolutionum (cf. "*liberté, égalité, fraternité*"). Fere omnia quæ explicantur in nostris universitatibus modernis sunt profanæ vocum novitates.

[1] Cf. P. II, cap. 2 et 3 in quibus puncta sequentia longius explicantur.

2. Sed neque imago phantasiæ, ut patet, est definita: "Descendit ad inferos"; "Tunc dicet rex iis qui a sinistris erunt"; "sedet ad dexteram Patris"; "inspiratio Spiritus Sancti".

3. **Quando datur aliqua definitio a Conciliis vel a Papa, conceptus qui est definitus est conceptus communis, prout intelligitur ab omnibus, et non conceptus technicus aut systematicus proprius alicuius systematis.**

Do exempla multa et celeberrima:

Quod anima sit forma corporis (Dz. 481): conceptus technicus est conceptus aristotelicus formæ cum suis relationibus; hic conceptus non est definitus; sed Concilium voluit hoc definire: quod anima et corpus efficiunt unum et non merum compositum casuale vel accidentale, et quod anima est elementum specificum, seu perfectivum, seu formale corporis; aliis verbis, id ex quo corpus habet quod sit corpus hominis, et non animalis, est anima.

Voluit ergo definire factum unionis, ut patet pro mysterio Incarnationis: quia si esset unio accidentalis, passio corporis non fuisset passio alicuius animæ rationalis et liberæ, et periret tota redemptio quia periret passio quæ facta est in corpore Christi. Unde si quis velit esse Carthesianus vel atomista, non est contra Concilium, licet difficillime possit cohærere cum verbis eius.

Ita notiones Personæ et Naturæ quæ sunt definitæ in mysterio Trinitatis et Incarnationis (Dz. 428-429), non sunt definitiones technicæ aristotelicæ, scilicet pro natura: principium motus et quietis in eo in quo est et non secundum accidens; pro persona: rationalis naturæ individua substantia.

Sed pro natura intelligitur in dogmate id ex quo aliquid constituitur tale, v.g. homo, et per quod distinguitur ab angelo et ab animali; et pro persona: sensus alicuius individui rationalis ab alio pariter individuo plene distincti, quo dicitur: aliquis, aliquis homo, et per quod respondetur ad interrogationem: quis est? Est Petrus vel Paulus. Dum natura respondet ad interrogationem: Quid est? Est petra, vel equus, vel homo, vel Deus.

Ita de gratia quæ est causa formalis iustificationis (Dz. 799): causa formalis id significat quod gratia est aliquid intrinsecum in nobis ex quo sumus realiter iusti; sed non est definitus sensus stricte Aristotelicus de aliquo comprincipio quod ut actus componat cum potentia seu cum materia.

Ita de lumine rationis (Dz. 1806) et de conversione: in Eucharistia (Dz. 877).

4. Do nunc aliquam synthesim conceptuum communium omnium et conceptuum systematicorum.

a) Principia communia et immutabilia:

Hæc sunt paucæ doctrinæ in quibus omnes theologi catholici conveniunt et convenire debent et ex quibus connexis cum revelatis deduci possunt veritates theologice certæ.

Ipsa etiam ut præsupposita in definitione sunt saltem *theologice certa* (ex synthesi philosophiæ).

i) Quod existit veritas et quod sumus capaces cognoscendi veritatem, contra scepticismum (cf. thesim de Deo uno).

ii) Obiectivitas cognitionis, contra idealismum seu immanentiam (cf. damnatum Modernismum).

iii) Quod veritas sit absoluta, i.e. eadem pro omnibus; contra relativismum: nam si verum esset solum quod nunc appareret, nulla daretur norma comparationis ad distinguendum inter verum et falsum; unde omnis affirmatio æquivaleret suæ negationi.

iv) Quod conceptus nostri, saltem aliquomodo, sunt universales: nam si nullam admittis universalitatem nulla esset distinctio inter naturam et personam, et mysteria Trinitatis et Incarnationis esset contradictio.

v) Quod certitudo mere naturalis, licet non scientifica, est tamen vera, v.g. in fide hominum simplicium.

vi) Quod homo est capax ratiocinandi; est enim theologice certum quod potest demonstrare existentiam Dei.

vii) Atque ideo: prima principia entis ut contradictionis, rationis sufficientis, causalitatis, finalitatis. Quare non potes dicere: secundum logicam Kantianam vel Hegelianam hæc principia non habent sensum; nam illa logica est *absolute hæretica*.

viii) Obiectivitas relationum, ut causalitatis, similitudinis: ad cognoscendam existentiam et essentiam Dei, quod est dogma contra agnosticos.

ix) Aliquomodo: existentia substantiæ et accidentis (licet non necessario cum omnibus determinationibus Aristotelicis). Nam secus non posset explicari Transubstantiatio et gratia quæ non est idem ac anima et tamen est in anima.

x) Quod dantur mutationes: nam est dogma quod homo potest amittere gratiam, et quod in ea potest crescere.

xi) Distinctiones rationis cum fundamento in re; v.g. in Trinitate.

xii) Quod existant extensa seu corpora.

xiii) Quod esse in loco et in tempore dicant aliquid reale, seu quod tempus et spatium habeant fundamentum in re; nam aliter non haberet sensum quod Christus vixerit tali loco vel tempore.

xiv) In genere quod existat ens spirituale, contra materialismum.

xv) Quod homo habeat animam spiritualem et immortalem.

xvi) Quod anima in homine sit una tantum: quia si dicis quod anima sensitiva est alia ab intellectiva, dolores sensibiles Christi non fuissent dolores alicuius animæ spiritualis.

xvii) Quod homo est homo ex unione animæ et corporis: anima est forma

xxiv) Quod homo ad religionem teneatur, et si Deus loquatur, quod teneatur Illum audire.

xxv) Quod ex ipsa natura rerum existit discrimen inter bonum et malum; quod discrimen homo potest cognoscere; et quod ideo teneatur ad bonum faciendum et malum vitandum.

xxvi) Quod est facile cognoscere et facere primas applicationes saltem legis naturalis: ut amare parentes, non occidere, adiuvare proximum.

Hæc principia sunt patrimonium commune totius generis humani in omni tempore; systemata contingentia mutantur, hæc non mutantur; sunt autem necessaria ad cogitandum et ad affirmandum dogma.

Si qua theologia vel philosophia hæc in dubium revocat vel de his nullo modo loquatur, est plene hæretica, docente etiam Encyclica *HUMANI GENERIS*:

"ea quæ communi consensu a catholicis doctoribus composita per plura sæcula fuere ad aliquam dogmatis intellegentiam attingendam, tam caduco fundamento procul dubio non nituntur. Nituntur enim principiis ac notionibus ex vera rerum creatarum cognitione deductis; in quibus quidem deducendis cognitionibus humanæ menti veritas divinitus revelata, quasi stella, per Ecclesiam illuxit. Quare mirum non est aliquas hujusmodi notiones a Conciliis Œcumenicis non solum adhibitas, sed etiam sancitas esse, *ita ut ab eis discedere nefas sit.*" (p. 566)

Et propter hanc rationem docet eadem Encyclica quod omnes *etiam in rebus philosophicis*, qua par est reverentia animum intendere debent ad magisterium Ecclesiæ, "cuius profecto est, ex divina institutione, non solum veritatis divinitus revelatæ depositum custodire et interpretari, sed ipsis etiam philosophicis disciplinis invigilare, ne quid detrimenti ex placitis non rectis catholica patiantur dogmata" (p. 575).

b) Puncta systematica :

Alia e contra sunt puncta quædam systematica :

i) Principium actus et potentiæ ;
ii) distinctio realis inter naturam et persona ;
iii) distinctio materiæ et formæ, essentiæ et existentiæ in rebus creati ;
iv) quod facultates, habitus et actus specificantur ab obiecto formali ;
v) de quantitate, de qualitatibus ;
vi) de diversis prædicamentis specifice intellecti ;
vii) de principio vitali in brutis ;
viii) de speciebus in cognitione ;
ix) de intellectu agente ;
x) de quinque viis specifice intellectis.

Istæ sunt theses quas Magisterium ecclesiasticum præfert inter alias, sed quas non supponit in suis definitionibus, licet verba definitionum desumantur ex hoc systemate.

Nota enim quod ista omnia possunt adhiberi ad significandos conceptus communes, quia aliqua distinctio inter essentiam et esse, inter actum et potentiam, est absolute necessaria.

Ita conceptus naturæ: est notio communis et necessaria pro theologia hoc sensu quod in omnibus hominibus sit aliquid identicum et stabile quod possumus cognoscere et relate ad quod possumus dicere cum infallibili certitudine: hoc ei debetur, illud non debetur.

Ex his thesibus applicatis ad propositiones revelatas, non deducitur propositio theologice certa, neque hæc potes dicere theologice certa præcise quia non præsupponuntur in conciliis. (Thesis de diverso obiecto formali supernaturali in fide, licet videatur vera, non est plus quam probabilior). Notiones istæ sunt technicæ seu systematicæ; istæ non definiuntur; seu: *quæ definiuntur a concilio vel a Pontifice non sunt propria alicuius solius systematis.*

III. De duplice ratione aliquid deducendi ex dogmate

a) Unice a priori

Inter propositiones theologice certas quædam obtinentur via ratiocinii unice a priori: istæ vocantur a quibusdam *theologice certæ*, ab aliis *implicite revelatæ*.

Et certe dici possunt *implicite revelatæ* si deductio fieri potest cum omni certitudine et vere a priori, i.e. adhibendo solum prima principia rationis. Nam veritates revelatæ in tantum intelliguntur a nobis in quantum sunt proiectæ in nostram mentem et receptæ, assimilatæ, comprehensæ a nostra ratione cum suo apparatu primorum principiorum necessariorum.

Quare si adhibendo hæc prima principia nos in lucem ponimus diversos aspectus dati revelati obiective initialis, non concludimus ad veritates vere novas. Sicut construitur metaphysica generalis proficiscendo ab aliquo dato initiali, i.e. a cogitatione humana obiectiva, sine recursu ad experientiam, quia ista est scientia legum necessariarum cogitationis obiectivæ, legum entis, atque ideo non habentur veritates vere novæ sed maior explicitatio alicuius obiecti per viam analysis: ita idem modus analyzandi aliquod obiectum secundum suas partes essentiales in theologia non est aliud nisi ratiocinium explicativum per quod deducuntur formaliter implicite revelata.

Sic inveniuntur partes in toto et vice versa (Sacram. 7); ita elementa alicuius definitionis in obiecto quod cognoscitur; ita ideæ particulares in idea generali.

Si vocas has propositiones theologice certas, certe tamen hæ propositiones videntur definiri posse de fide catholica. In his enim ratiocinatio solum deservit ad explicandum sensum præmissæ quæ est revelata et quatenus est revelata.

b) Addito facto contingenti

Si explicitatio fiat recurrendo ad aliquam veritatem facti, tunc est classis sequens.

Est classis illarum conclusionum quarum genesis supponit introductionem in ratiocinio alicuius veritatis non revelatæ sed cognitæ per experientiam.

Facta dogmatica sunt illa quæ ut elementa facti ingrediuntur in aliquam propositionem quam nemo potest negare vel ut de fide vel ut theologice certam: quod Ecclesia sit infallibilis in facto dogmatico est saltem theologice certum.

Enumerantur omnia ista:

i) factum legitimitatis alicuius Papæ vel alicuius concilii, ut Tridentini, (ingreditur ut elementum facti in omnibus dogmatibus Concilii Tridentini).

ii) sensus alicuius propositionis vel alicuius libri in relatione ad fidem (cf. Jansenium).

iii) character hæreticalis alicuius personæ (Nestorius, Wiclef): hoc potest esse necesse definire ne fideles inficiantur ab eorum doctrina.

iv) orthodoxia alicuius Patris Ecclesiæ vel alicuius eius libri.

v) sanctitas alicuius personæ (in canonizatione).

vi) nullitas vel realitas talis ordinationis, v.g. Anglicanorum.

vii) valor sanctificationis talis ordinis religiosi (approbatio ordinum religiosorum; non eo ipso omnes regulæ in particulari approbantur ut meliores).

viii) authenticitas Vulgatæ.

ix) factum talis obligationis quæ oritur ex tali lege ecclesiastica, v.g. sese confitendi semel in anno, vel communicandi in Pascha.

x) existentia sacramentalium.

xi) existentia talium impedimentorum in matrimonio.

Parum refert si non possumus dirimere quæstionem utrum quædam ex iis factis sint dogmata vel solum theologice certa: nam ex una parte videntur revelata hæc particularia: hoc ens creatum est, hic homo redemptus est, Concilium Tridentinum est infallibile, hic Papa est infallibilis: quia in iis casibus non fit additio Revelationis sed explicatio vel applicatio eius; ex alia tamen parte sciendum est quod multa in genere a Deo revelantur, ut credantur solum in genere: nam ego non teneor ad faciendum actum fidei quod hic puer sit natus in peccato originali, vel quod hic Papa sit infallibilis: sed teneor ad faciendum seu eliciendum actum fidei circa illa quæ ipse definiat.

Vel potes dicere quod quædam revelantur seu dicuntur a Deo non iam ad faciendum seu eliciendum actum fidei, sed per accidens vel cum ordine ad articulos fidei (ex. de pænula S. Pauli).

Deus enim loquendo nobiscum sese accommodat moribus humanis, sicut orator quædam dicit per accidens seu per transennam.

Propono alio modo punctum præcedens difficillimum : relate ad ea quæ deduci possunt, seu:

Relate ad virtualiter revelata, distinguendi sunt duo casus:

i) quædam conclusiones obtinentur ex dogmate mediante ratiocinio unice a priori, id est sine recursu ad experientiam seu ad aliquod factum contingens. In talibus conclusionibus est valde difficile definire præcise quænam sint formaliter implicite revelatæ, quænam e contra solum virtualiter implicite

revelatæ; *videtur non admittenda illa distinctio inter syllogismum mere ostensivum, et syllogismum vere illativum.*

Nam ante definitionem Ecclesiæ tales conclusiones vocantur theologice certæ, ut Immaculata ante definitionem; post definitionem veniunt theologi et dicunt fidentes: illa est formaliter implicite revelata. De facto in his conclusionibus habetur vel solum novus conceptus eiusdem realitatis: sicut quando dico: est dogma cognitio Dei, ergo est theologice certa demonstratio: demonstratio enim est conceptus magis determinatus cognitionis; vel habetur proprietas quæ in realitate definita continetur ut in radice: est dogma quod Christus sit homo: ergo est theologice certum quod sit risibilis.

Istæ conclusiones possunt dici *implicite revelatæ* si deductio fieri *potest cum vera certitudine adhibendo solum prima principia rationis.* In his valet plene ratiocinium Suaresii et Lugonis; tales conclusiones possunt definiri et sunt credendæ de fide divina et catholica.

Unica ratio quare sæpe non possunt definiri est quia non sunt certæ, quia deducuntur cum aliqua minori rationis quæ non est absolute certa. Sed si propositio rationis esset absolute certa et a priori, certe conclusio posset definiri.

Et de facto tales conclusiones intrant in illam categoriam quam approbant auctores quando dicunt quod formaliter implicite revelatum est definitio in definito, conclusio in præmissis: illi conceptus novi, illæ proprietates, pertinent ad definitionem rei: nam nemo potest cum certitudine distinguere semper inter essentiam et proprietatem essentialem, et in eiusmodi distinctionibus continetur semper aliquid arbitrarietatis.

Et amplius: si tales conclusiones non possent definiri, nihil potest definiri novi nisi quod est expressis verbis in Scriptura: nam in omni syllogismo nos adhibemus prima principia rationis; v.g. ad deducendum quod Filius est consubstantialis Patri ex eo quod Christus dicit: "ego et Pater unum sumus", adhibeo principium identitatis et contradictionis.

Supponamus nunc quod sit vera sententia thomistica quod persona constituatur a propria existentia, cur non posset definiri quod in Christo est tantum unum esse? Ratio præcise quare hoc non potest definiri non est quia thesis illa de una existentia in una persona est veritas nova, sed quia non est veritas certa.

Omnes auctores dicunt: qui testatur aliquam veritatem formaliter explicite, implicite testatur omne illud quod sub his circumstantiis, et etiam futuris pro Deo, audienti est eadem veritas. Iamvero audientes possunt esse diversi: si Christus dicit coram operario aliquo: "ego et Pater unum sumus", ille fere nihil intelligit; si dicit coram theologo, theologus dicit: est consubstantialis Patri; et in fine mundi quando cognitio Revelationis ex parte Ecclesiæ erit maior, melius adhuc intelligent illam veritatem et quæ necessario ex illa deducuntur possunt omnia dici formaliter implicite revelata.

Unde quod dicebant theologi veteres est verissimum: illæ consequentiæ sunt implicite revelatæ quæ deducuntur ex revelata veritate, bona et necessaria consequentia.

ii) Sed sunt aliæ conclusiones, non a priori sed a posteriori in quarum præmissis continetur aliquod factum contingens, v.g. sanctitatis alicuius personæ in canonizatione; vel in authentia Vulgatæ; in impedimentis matrimonii, quæ impedimenta omnino contingenter statuuntur ab Ecclesia; vel in cæremoniis Sacrificii Missæ et Sacramentorum, quæ etiam omnino contingenter statuuntur ab Ecclesia.

Istæ definiuntur et tamen non videntur revelata. Ratio autem quare non sint credenda de fide divina et catholica videtur esse ista: adhuc non est dogma fidei quod Ecclesia in his definiendis sit infallibilis; est certum theologice. Si esset dogma, tunc etiam pro his plene valeret ratiocinium Suaresii et Lugonis: omnes definitiones Ecclesiæ, cuiuslibet generis, erunt dogmata fidei.

Si enim Christus dixisset: ego vobis revelo quod Ecclesia in omnibus quæ definit est infallibilis, seu dicit verum, Christus ipse cum illa propositione generali affirmavisset veritatem illarum definitionum. Quid est enim affirmare aliquam propositionem nisi dicere: est vera ? Utique alia veritas est infallibilitas Ecclesiæ, alia veritas est propositio definita ab Ecclesia; sed sunt duæ veritates necessario connexæ: unde qui affirmat unam, affirmat etiam aliam: sicut qui dicit: "Ego et Pater unum sumus", affirmat etiam consubstantialitatem et qui affirmat principia et videt conclusiones eo ipso affirmat conclusiones quæ necessario ab ipsis videt deducendas esse.

Breviter ergo: illa quæ deducuntur cum absoluta certitudine unice a priori, videntur esse omnia revelata; unica distinctio est utrum sint implicite an explicite revelata; et de facto etiam Encyclica "HUMANI GENERIS" loquitur solum de tali distinctione, ubi dicit:

> "Verum quoque est, theologis semper redeundum esse ad divinæ revelationis fontes: eorum enim est indicare qua ratione ea quæ a vivo Magisterio docentur, in Sacris Litteris et in divina 'traditione', *sive explicite, sive implicite* inveniantur" (p. 568). (Pius IX, *Inter gravissimas*, 28 oct. 1870, *Acta*, vol. I., p. 260).

Alia *distinctio inter formaliter revelatum et virtualiter revelatum*, quasi *virtualiter revelatum* definiri non possit, licet deducatur cum certitudine a revelato, videtur non esse admittenda.

IV. QUID ERGO SIT *REVELATUM FORMALITER EXPLICITE*, VEL *IMPLICITE*; QUID *VIRTUALITER REVELATUM*; DISTINCTIO INTER IPSA

1. Explico ante omnia unde desumatur distinctio rationis ratiocinantis :

... ex diversis scilicet respectibus unius rei vel conceptus ad alias res; Homo: animal rationale (essent denominationes mere extrinsecæ); distinctio vero ratiocinatæ rei desumitur ex eadem re quæ præbet fundamentum tali distinctioni.

Quia aliquid potest esse revelatum formaliter explicite vel formaliter implicite: quæ distinguuntur a conceptu revelato per distinctionem rationis ratiocinantis, ut Trinitas, ὁμοούσιος, unio hypostatica sunt formaliter implicite revelata; quæ distinguuntur distinctione rationis ratiocinatæ sunt etiam formaliter implicite revelata, sed antequam proponantur ab Ecclesia, communiter dicuntur theologice certa; postquam vero proposita sunt, vera dogmata. Quæ autem distinguuntur realiter, non sunt revelata, nisi aliunde constet.

2. *Formaliter explicite revelatum* est id quod ipsi termini locutionis exprimunt.

Potest fieri termino proprio: Deus fortis, Deus dixit quæ sunt in libris sacris, Verbum caro factum est, locutus est per prophetas. Potest fieri termino metaphorico: dominus exercituum, ego sum vitis vos palmites.

Sed non est confundendum id quod expressis verbis in propositione aliqua significatur, cum eo quod prima fronte ex sola lectione vel auditione propositionis percipitur. Potest enim accidere quod sensus verborum solum ex longa inquisitione innotescat et multæ sunt veritates explicite revelatæ quæ tales non apparent, nisi adhibeantur multa argumenta.

3. *Formaliter implicite revelatum* est quod formaliter continetur in explicito revelato seu formaliter idem est cum explicite revelato.

Sic continetur:

a) *definitio in definito* et vice versa: hoc est corpus meum: transubstantiatio;

b) *relativum in correlativo*: ita revelata una propositione revelatum est contrariam et contradictoriam esse hæreticam;

c) *partes physicæ essentiales in toto* et totum in partibus;

d) *propositio particularis in universali*;

e) *conclusio in præmissis.* Nam principium ex quo syllogismus procedit se habet ad conclusionem ut totum ad partem et conclusio se habet ad principium ut pars ad totum. Quare consequens est pars antecedentis.

Do exemplum: initium fidei est actus supernaturalis; ad omnem actum supernaturalem requiritur gratia; ergo etiam ad initium fidei requiritur gratia.

Patet quod in his ut transeam ex uno ad aliud sufficit *explicatio terminorum* quia quodlibet ex his ingreditur in definitionem alterius. Qui locutus est nobis in Filio, eo ipso dixit revelationem esse possibilem, dixit esse convenientem (Dz. 1807). Supra locutus sum de propositionibus quæ

obtinentur a propositione revelata unice a priori seu via metaphysica: sunt istæ.

Do autem exempla quæ probant hæc, antequam definiantur ab Ecclesia, haberi ut theologice certa:

a) quod Trinitas, Incarnatio et Eucharistia sint mysteria;

b) quod rationes contrariæ non sint cogentes seu evidentes;

c) quod Trinitas, etiam post Revelationem divinam, non potest demonstrari sola ratione.

Hic autem adverte aliquam differentiam in terminologia auctorum. De mysterio Incarnationis quidam dicunt esse doctrinam catholicam quod sit mysterium, quia Pius IX nominat illud mysterium in aliqua epistola afferendo illud ut exemplum de mysteriis, et quod rationes non sint evidentes dicunt quod est theologice certum; de Trinitate quod non possit demonstrari; alii dicunt esse proximum fidei.

4. Testis testando aliquam veritatem formaliter et explicite, æquivalenter seu implicite testatur omne id quod in his circumstantiis, et etiam futuris pro Deo, in verbis suis continetur.

Hæc sunt quæ mere a priori cum firma certitudine deduci possunt a sua propositione attestata. Agitur enim de sensu locutionis attestantis. Ita qui testatur Christum esse hominem perfectum testatur eo ipso eum habere voluntatem humanam; Deus qui testatur se esse cum Apostolis usque ad finem mundi, testatur futuros quosdam successores Apostolorum (episcopos); qui testatur dari mysteria (Dz. 1796) ("loquimur Dei sapientiam in mysterio quæ abscondita est"), eo ipso revelat ad cognoscenda mysteria necessariam esse revelationem.

5. Sed possunt evenire quædam adiuncta in sæculis futuris in quibus verba a Spiritu Sancto inspirata plenius intelligentur; ut nunc nos quædam percipimus in Scriptura et Traditione quæ antea non percipiebant.

Hoc criterium bene explicat quomodo nunc possit esse de fide quod antea erat v.g. solum theologice certum, vel doctrina catholica, quin tamen fiat nunc nova revelatio.

Debes enim retinere et conciliare hæc duo:

i) Revelatio clausa est cum Apostolis, quod est saltem *theologice certum*.

Nam:

a) nimis *patet ex Scriptura* quod præsens œconomia Ecclesiæ Jesu Christi est status ultimus atque supremus divinæ manifestationis pro hac conditione mortali generis humani.

b) Christus in ultima cœna dicit Apostolis, loquendo de Spiritu Sancto: *docebit vos omnem veritatem*, scilicet totam veritatem salutarem revelandam; patet autem quod hic spectat Apostolos personaliter, nam ipsi sunt qui multa quæ Christus dicturus esset non possunt portare modo, et qui e contra, cum venerit Spiritus veritatis, docebuntur omnem veritatem.

c) Ascensurus autem in cœlum Christus dicit Apostolis: *docete eos servare omnia quæcumque mandavi vobis*; et hoc explicat quid sint illa omnia de quibus loquebatur in ultima cœna;

d) S. Paulus semper commendat suis discipulis custodire depositum et prohibet recipere eos qui proferant aliquid, præter doctrinam quam "vos didicistis", quia omnes fideles sunt ædificandi supra fundamentum Apostolorum et prophetarum, et non super aliud fundamentum.

e) Si quod dubium adhuc maneret, quæstio deciditur ex diserta doctrina et practico agendi modo totius Ecclesiæ. Semper enim valebat hoc principium: quidquid novum est non ad fidem pertinet, sed ad hæresim. Definire autem quod aliquod caput ad fidem catholicam pertineat est idem, secundum stilum conciliorum, quod talis doctrina ad nos pervenit ut revelata ab Apostolis, sive in divina Scriptura, sive in Traditione etiam sine scripto.

ii) Licet autem Revelatio sit clausa, nunc tamen sunt quædam dogmata quæ antea explicite non cognoscebantur.

Aliud enim est propositionem aliquam *secundum se* esse de fide, aliud vero esse *nobis* de fide. Ad primum sufficit quod sit a Deo revelata; ad secundum requiritur quod Revelationis sensus et significatio nobis constet sufficienter.

Exemplum est in Scriptura: quando coram rege Baltassare scripta fuerunt in pariete verba illa: *mane, thecel, phares*, quibus significabatur quod Deus numeraverat regnum Baltassaris et quod illud regnum erat in fine; quare, posita illa scriptura, iam hæc veritas erat revelata a Deo, et Daniel, ubi primum scripturam illam legerat, debebat ex fide obiectum illud credere tanquam a Deo revelatum. Rex tamen, antequam a Daniele explicaretur de quo obiecto loqueretur Deus, non debebat nec poterat veritatem illam de fide credere. Erat ergo veritas illa iam *de fide secundum se*; *regi tamen et aliis* nondum erat de fide.

Ita Deus iam dixit nobis in Scriptura et Traditione omnia quæ volebat dicere; sed nos intelligimus secundum capacitatem nostram; in sæculis futuris non negabunt quæ nos dicimus, quia dogmata sunt immutabilia, sed plenius intelligent. Quis enim posset plene exponere illum textum: *Verbum caro factum est*? Quis posset exhaurire sensum illorum verborum: *Ego sum vitis, vos palmites*?

Unde Encyclica "Humani Generis" docet:

"... uterque doctrinæ divinitus revelatæ fons tot tantosque continet thesauros veritatis, *ut numquam reapse exhauriatur*." (p. 568)

Cum hoc criterio ruit totus apparatus scientificus Modernistarum, (Dz. 2039; 2040), qui putant se facessere magnam difficultatem Ecclesiæ ex eo quod quædam dogmata historice probari nequeant ex toto decursu sæculorum incipiendo ab Apostolis usque ad nos. Non est indispensabile omnia probare a sæculis præteritis: Spiritus Sanctus etiam hodie assistit Ecclesiæ atque viis nobis ignotis dirigit attentionem eius ad melius intelligenda quæ Ipse locutus est per prophetas.

6. Si revelata est essentia metaphysica alicuius rei, revelatæ sunt etiam eius proprietates metaphysicæ, non autem eius proprietates etiam physicæ; si revelata est essentia in suo statu connaturali, revelatæ sunt proprietates connaturales; si revelata est essentia ut in statu perfecto, revelatæ sunt etiam omnes perfectiones accidentales.

Ita de Christo revelata est essentia humana metaphysice spectata et in statu perfecto, non autem in statu suo connaturali; ex hac triplici consideratione S. Thomas construit theses de proprietatibus illius naturæ humanæ. In Eucharistia revelata est præsentia Christi, sed non in statu connaturali quia non occupat locum.

Revelatum est quod Maria sit Mater Dei, sed non modo naturali quia *ex Spiritu Sancto*: esse Matrem et esse Matrem modo naturali realiter distinguuntur.

Resumo dando exempla:

a) (i) "Verbum caro factum est" (*formaliter explicite revelatum*).

(ii) Verbum personaliter seu hypostatice naturæ humanæ unitum est (*implicite revelatum*).

(iii) Ergo conceptus personæ in genere aliquomodo distinguitur a conceptu naturæ (*theologice certum*).

b)(i) "Qui vero non crediderit condemnabitur".

(ii) Fides necessaria et irrevocabilis (*implicite revelatum*).

(iii) Ergo requiritur prævia certitudo facti Revelationis (*theologice certum*).

c) (i) "Erant nudi et non erubescebant".

(ii) Non habebant concupiscentiam (*implicite revelatum*).

(iii) Ergo integritas est donum indebitum, quia per peccatum concupiscentia venit et tamen natura non est corrupta.

d) (i) "Hoc est corpus meum".

(ii) Transubstantiatio.

(iii) Ergo manent accidentia.

e) (i) "Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua".
(ii) Ergo Petrus est infallibilis.
(iii) Ergo est infallibilis etiam in facto dogmatico.

f) (i) Pater Deus, Filius Deus, Spiritus Sanctus Deus.
(ii) Ergo sunt consubstantiales.
(iii) Ergo est distinctio saltem rationis inter naturam et personam in genere.

7. Etiam ex praxi Ecclesiæ, scilicet ex iure canonico, ex vita liturgica, ascetica, mystica Ecclesiæ sicut possunt probari quædam quæ sunt dogmata, ita possunt etiam *quædam quæ sunt doctrina catholica vel theologice certa* cum illis coniuncta.

Præsertim circa vitam mysticam et asceticam sunt multa documenta doctrinalia sive positiva sive negativa quæ statuunt doctrinam vel damnant errores de vita spirituali (Dz. 1221 sq.).

Sunt etiam documenta practica:

a) in legibus ecclesiasticis spectantibus varios status qui perfectionem vel postulant vel assequi conantur, ut status ecclesiasticus et religiosus: ex quibus elucet quænam sit mens Ecclesiæ de mediis aptis ad perfectionem obtinendam et de periculis cavendis in eius studio; hæc omnia possunt dici doctrina catholica vel theologice certa.

In hoc puncto hodie sæpe auditur: quid faciunt v.g. illæ moniales quæ nunquam exeunt ? Cur non exeunt ad faciendam actionem catholicam? *Respondeo* quod faciunt sacrificium suæ vitæ, quod est maximum quod potest fieri in hoc mundo pro actione catholica.

Si ita putavisset S. Theresia ab Infante Iesu, hodie non haberemus in Ecclesia tale prodigium sanctitatis. Sed neque ipse Christus ita putavit: mansit per 30 annos in vita fabri. Cur potius non exivit ad faciendam actionem catholicam ? Quæ, ut patet, est nimis stulta interrogatio.

b) quando approbat ordines religiosos Ecclesia authentice declarat talem formam vitæ esse medium aptum ad sectandam perfectionem: unde quod regula S. Francisci vel S. Dominici vel S. Ignatii sit regula apta etiam hodie si Ecclesia non putat esse mutandam, est doctrina catholica vel theologice certum. Non loquor, ut patet, de singulis regulis in minimis.

Etiam hic auditur aliquando: sunt multa reformanda, sunt res veteres, res mediævales.

Etiam ego puto quod multa sint melius adaptanda exigentiis modernis et temporibus mutatis, sed ista adaptatio facienda est a Pontifice et ab episcopis. At initiativa potest esse a privatis ?

Concedo, sed initiativa quæ fundetur in discretione, in modestia, in patientia, in humilitate.

c) in canonizatione sanctorum est doctrina catholica vel theologice certum quod vita sancti sit eximium exemplar vitæ christianæ: sancitur utique

complexus generalis vitæ servi Dei, non autem valor singulorum actuum et multo minus imitabilitas eorundem seu aptitudo ut imitentur ab omnibus. Hoc non sancitur. Unde non ex eo quod aliquid est factum vel dictum ab aliquo sancto, ista potest esse unica ratio cur possit fieri ab omnibus.

Ita S. Paulus restitit in faciem Petri quia reprehensibilis erat: et tamen esset nimis periculosum velle illum imitari in hoc puncto.

8. Qui negat propositionem vere theologice certam et sciat esse propositionem theologice certam committit peccatum grave.

Ista culpa est suo modo contra fidem propter connexionem quam conclusio theologica vel factum dogmaticum habet cum fide.

CAPUT 12
DE PROPOSITIONE CERTA, DE TEMERARIA

1. Aliquando auctores dant hanc notam alicui propositioni: *communis et certa.*

a) COMMUNIS, prout hodie admittitur ab omnibus scholis cuiusvis systematis theologici;

b) CERTA, prout contradistinguitur cum *theologice certa*, significat propositionem *quæ est certa sed minus immediate concluditur ex aliqua veritate revelata*; seu concluditur longiori et minus evidenti deductione.

Satis difficulter ergo *certum* distinguitur a *theologice certo*; nam si est certum pro omnibus theologis, videtur esse *theologice certum*; sed de facto dantur exempla talium propositionum: quod integritas sit donum indebitum; et quod homo sine gratia possit actus naturaliter honestos ponere, contra Augustinenses; quod in sacramentis requiritur intentio interna et quod sacramenta sint veræ causæ et non sint conditiones (non dico causæ physicæ).

Exemplum celebre in theologia morali est quod omnis delectatio venerea deliberate quæsita vel admissa extra matrimonium sit peccatum mortale. Ista est sententia communis: documenta officialia dicunt de sententia contraria quod est periculosa saltem in praxi; S. Sedes numquam eam damnavit vel reiecit ut improbabilem.

2. Criterium aliquod ad cognoscendum quid sit *commune et certum* est hoc:

Quando aliqua thesis hodie tenetur cum certitudine quia est conformior cum doctrina alicuius concilii, quin tamen possit dici definita, quia habet ut adversarium aliquem theologum quem concilium noluerit damnare. Nam concilia, nisi adiuncta id exigant, non solent damnare theologos catholicos qui teneant sententiam contrariam, nisi damnatio clare pateat ex historia concilii. V.g. quod motivum fidei non sit dominium Dei, contra Gulielmum Parisiensem. (Dz. 1789).

3. Adhibetur aliquando alia nota, i.e. *philosophice certum.*

Sunt illa puncta quæ necessario admitti debent ab omni theologo catholico, v.g. quod possibilis sit hypothesis pro nostra ratione alicuius

religionis positivæ absolute necessariæ (*philosophice et theologice certum*); est *philosophice certum* quod certitudo facti Revelationis haberi potest solum ex signo divino, si abstrahis a visione beatifica.

4. Nota temeritatis est inferioris gradus quam censura erroris.

Propositio *temeraria*, comparata cum *erronea*, est in minus directa oppositione contra veritatem, vel opposita veritati minus stricte connexæ cum doctrina fidei. Quia vero hoc plus et minus diiudicandum est morali æstimatione et theologica prudentia, nihil mirum quod theologi fere fluctuent inter has duas censuras et propositiones easdem quas alii dicunt *erroneas*, alii appellent *temerarias*, atque etiam coniungere soleant utramque ita ut dicant propositionem esse erroneam vel saltem temerariam.

Signum evidens ad dignoscendam *propositionem temerariam* est videre si negat propositionem communem et certam. Ergo:

5. Est propositio temeraria quæ repugnat doctrinæ theologicæ universaliter et constanter receptæ apud pios et doctos tamquam tenendæ ex gravibus fundamentis auctoritatis et analogiæ fidei, (Dz. 1527)...

... v.g. in celebri exemplo supra allato si quis diceret dari materiam levem in peccatis contra sextum esset temerarius.

6. Est temeraria quæ affirmat aliquid contrarium institutis approbatis in Ecclesia et consuetudinibus licet in se non revelatis.

Nunc patet ratio quare antea locutus sim etiam de praxi Ecclesiæ, iuridica, ascetica et mystica, atque liturgica ex qua deduci potest aliquid ut *theologice certum*, ita ut contrarium sit *erroneum* vel saltem *temerarium*. (Dz. 1527; 1531; 1554).

7. Propositio potest esse *temeraria* modaliter...

... non quatenus sit contraria propositioni certæ, sed *quia sine ratione sufficienti* damnat propositionem probabilem vel probabiliorem. (Dz. 1526 de limbo.)

8. Quoniam una propositio potest pluribus modis veritati opponi, *potest et solet eadem propositio affici pluribus censuris.*

Si quando ergo dicuntur simul *temerariæ* et *erroneæ*, scias quod *temerarium* tunc sumitur in sua significatione magis generica qua propositio *hæretica* et *erronea* possunt dici simul *temerariæ*. (Dz. 1510; 1547; 1564; 1577; 1578).

9. Est propositio *temeraria* illa quæ opponitur sententiæ communi Patrum vel theologorum sine sufficienti fundamento.

Si quis enim habet sufficiens fundamentum, non est temerarius, sicut si haberet aliquam rationem magni ponderis, vel auctoritatem alicuius doctoris, qui rem bene discusserit. Unde in theologia morali dicimus quod sufficit ad sequendam aliquam sententiam ut probabilem auctoritas quinque vel sex theologorum, vel etiam unius maximi ut S. Alphonsi vel S. Antonini. Temeritas autem, de qua loquimur, est in neganda aliqua re, quæ, licet non sit *de fide* vel *conclusio theologica*, pertinet tamen ad theologiam et ad doctrinam communem circa res quæ spectant ad pietatem et salutem.

10. Temeritas est imprudentia qua quis sese opponit sine fundamento communi sententiæ aliorum in materia theologica.

Sicut etiam in philosophia non careret culpa imprudentiæ qui in materia philosophica singulariter opinaretur contra sententiam aliorum philosophorum sine sufficienti fundamento.

Unde Encyclica "HUMANI GENERIS" testatur:

> "...christianus, sive philosophus, sive theologus, non festinanter ac leviter amplectatur quidquid novi in dies excogitatum fuerit, sed summa sedulitate id perpendat ac justa in trutina ponat, ne adeptam veritatem amittat, vel corrumpat, gravi profecto cum ipsius fidei discrimine ac detrimento" (p. 572).

11. Propositio temeraria potest esse duplicis speciei:

a) una quæ habet contra se communem sententiam Patrum et theologorum: hæc dicitur *temeraria positive:*

b) alia quæ, cum sit nova, non habet contra se sententias Patrum et theologorum: dicitur *temeraria privative.*

Ita si quis diceret quod alius sanctus præter B. Mariam Virginem conceptus sit sine peccato originali.

12. *Optima regula ad dignoscendum an propositio aliqua sit temeraria,* quamvis de ea explicite Patres et Doctores non sint locuti, est considerare *quid dixissent Patres* interrogati de hac propositione in particulari, quantum ex reliqua eorum doctrina colligere possumus.

Si certum est eos negaturos fuisse, hoc sufficit ut censeatur temeraria; quando e contra manemus dubii et ancipites quid dixissent, non debet dici temeraria licet non habeat pro se communem sententiam.

13. Propositio *communior* et *communissima* dicunt minus quam *commune*.

Quia in hoc adiectivo gradus comparativus et superlativus dicunt minus quam gradus positivus.

CAPUT 13
DE PROPOSITIONE PROBABILI ET DE SYSTEMATE THEOLOGICO

I. De propositione probabili

1. Propositio probabilis est quæ nititur in motivo fallibili quidem sed satis gravi; gravi, *tum absolute,* i.e. spectato in se, *tum relative,* i.e. comparato cum motivo sententiæ oppositæ.

Quare thesis etiam probabilissima ex se falsa esse potest; et si thesis est tantum probabilis, non licet dicere contradictoriam certo falsam.

2. Potest accidere quod opinio prudens sit de facto erronea, et opinio quæ videretur imprudens sit de facto vera.

Quamdiu enim agitur de opinione, numquam quis potest esse certus de veritate. Iamvero *etiam Ecclesia habet suas opiniones,* neque omnia admittit ut de fide catholica; ita in primis sæculis erat opinio prudens admittere proximitatem parousiæ, et erat falsa; per multos annos fuit sententia probabilis quod ad salutem infantium esset necessaria Eucharistia: et erat falsa. Ita etiam de possessionibus et natura extensionis actus dæmoniaci erant, sæculis transactis, opiniones vere miræ. Vides iterum quod scire notam sit summi momenti, quia si habes aliquam thesim quam putas esse certam et nescis esse tantum probabilem, periculo te exponis ut aliquando debeas retractare sententiam tuam, quod est inconveniens!

3. *Cessat omnis probabilitas* alicuius propositionis quando veritas oppositæ certis argumentis fit evidens.

4. *Probabilitas interna* est quæ procedit ex ipsa natura rei de qua agitur; *externa* vero est illa quæ procedit ex auctoritate aliorum.

5. Quod una sententia sit *probabilior* non impedit quod opposita remaneat vere *probabilis.*

6. *Pondus rationum* magis quam numerus *auget probabilitatem* alicuius sententiæ.

7. Fieri potest ut, deficiente evidentia alicuius rei, possint tamen indicari tot et tantæ rationes ut, ex his rationibus probabilibus simul acceptis, res omnino certa esse demonstretur.

Est id quod vocatur *convergentia probabilitatum.*

8. Duæ propositiones contradictoriæ possunt esse simul probabiles.

Aliis verbis: homo potest adhærere uni propositioni ita ut oppositam retineat ut vere probabilem. Fieri enim potest ut pro utraque parte adducantur rationes quæ sint graves, si accipiantur seorsum vel absolute. Cum autem rationes sententiæ oppositæ non sint certæ, sed tantum probabiles, hæ rationes sunt fallibiles.

Etiam *experientia constat* multas propositiones, inter se contradictorie oppositas, traxisse sapientissimos homines in partes oppositas.

Ita de prædestinatione ante vel post prævisa merita, de causa instrumentali creationis, de natura peccati originalis, de natura seu essentia beatitudinis.

9. Potest homo per opinionem unam propositionem tenere ut veram, et simul aliam oppositam putare esse probabilem.

Immo potest tenere per opinionem aliquam propositionem ut veram et simul iudicare oppositam esse probabiliorem. Nam statuere possum propositionem ut veram opinationem, si adsunt rationes graves et solidæ, etsi rationes graviores sint contra.

10. *Thesis probabilis* est idem ac *conclusio scholastica* seu propria alicuius scholæ seu systematis, deducta ex revelatis et ex illo systemate.

Ita quod Deus non cognoscat futuribilia in signo antecedente eorum futuritionem.

II. De systemate theologico

1. Systema theologica est aliqua hypothesis vel theoria ad penetranda dogmata etiam ultra id quod est definitum vel theologice certum; ad explicanda etiam ultra id quod scitur ex fide et e scientia theologica quæ ab omnibus admittitur.

a) Ita quod efficacia gratiæ explicetur per prædeterminationem physicam, vel per delectationem victricem, vel per gratiam congruam. Est *dogma fidei* quod detur gratia sufficiens et quod meus actus bonus attribuendus sit Deo; *est theologice certum* quod detur gratia efficax. Nunc magis progrediendo, si volo explicare rationem quo modo gratia efficax sit majus donum quam mere sufficiens, debeo admittere quod est majus donum quia in actu primo habet illum triplicem nexum cum bono opere: nexum obiectivum, affectivum et cognoscitivum. Sed undenam oritur talis nexus ? Hic est problema: forsan ex

prædeterminatione physica? vel ex libera electione hominis et e scientia media?

b) Est dogma quod actus fidei est assensus ob auctoritatem Dei revelantis. Longius progrediendo in systemate, quærimus: quomodo conciliari debet cognitio quam ego habeo facti Revelationis cum assensu quo admitto Trinitatem? Quando admitto Trinitatem, admitto simul etiam quod Deus hoc mihi dicat. Ille assensus estne obscurus solum ex obiecto materiali, vel etiam ex motivo? Si motivum potest esse evidens etiam in fide theologica, quomodo fides theologica distinguitur a fide scientifica?

c) Quando Christus recepit præceptum moriendi, eratne præceptum sensu stricto? Si dicis quod erat præceptum, quomodo potuit esse liber cum visione beatifica? Si non admittis præceptum sensu stricto, videris non bene interpretari Scripturam quæ loquitur de præcepto.

d) Omnes admittere debent in Christo unam Personam et duas naturas: hoc est *dogma* duplex. Si magis volumus determinare: quid natura humana habet, quid non habet ut non sit persona, et sit tamen integra natura, sunt *varia systemata.*

2. Systemata theologica habent verum valorem quatenus sunt quædam elaborationes intellectuales mysteriorum revelatorum.

Ita Patres apologetæ inceperunt cogitare Evangelium modo græco; seu fecerunt proiectionem Evangelii in formas et categorias cogitationis græco-romanæ; inceperunt concipere mysteria et ratiocinari de his secundum modum concipiendi et ratiocinandi Græcorum. Mens autem Græcorum erat valde clara: amabat quæstiones, definitiones, exactitudinem rigorosam.

Unde illi Patres inceperunt definire et dividere cum acribia rigorosa. Cum lenta assimilatione illa elementa vere humana, profunde analyzata, quæ inveniebantur in ethica et in metaphysica Græcorum, transierunt in doctrinam Evangelii ad illam analyzandam et synthetizandam.

Ita intraverunt:

a) *Methodus ipsa* definiendi, dividendi, ratiocinandi, demonstrandi, solvendi difficultates et technica iudicii.

b) *Conceptus cognitionis,* locutionis qui tantum momentum habent in tractatibus de Trinitate et de Revelatione.

c) *Conceptus naturæ* et stabilitatis eius, summi momenti in thesi de miraculis atque ideo in tota apologetica.

d) *Conceptus causalitatis* bene definitus et quatuor specierum causarum, tanti momenti in *Tractatu de Deo Creante et de Deo Uno.*

e) *Conceptus transcendentales unius, veri,* cum ideis connexis de distinctione, differentia, identitate.

f) *Conceptus substantiæ et accidentis, naturæ, suppositi, personæ, relationis:* tanti momenti in tractatibus *de Verbo Incarnato et Trinitate.*

g) *Conceptus de actibus, habitibus, virtutibus*: tanti momenti in *de Gratia et de Fide*.

h) *Conceptus signi et causalitatis*, tanti momenti in *de Sacramentis*.

i) *Conceptus beatitudinis objectivæ et formalis*, in *de Novissimis*.

Quod dictum est de philosophia græca, dici nequit de philosophia Kantiana, Hegeliana vel materialistica et de quacumque alia philosophia contraria philosophiæ perenni: non iam quia illa est græca, et ista est moderna; sed quia ista philosophia, ut Kantiana, est absolute inconciliabilis cum Evangelio, quia negat vel in dubium revocat illa puncta quæ sunt *substratum cuiuscumque philosophiæ veræ et cogitationis dogmaticæ*. Hæc sunt: *obiectivitas cognitionis*; *obiectivus valor principii identitatis, contradictionis, causalitatis*; *acceptatio evidentiarum sensus communis*: quæ sunt puncta immutabilia ex quibus proficisci debet omnis speculatio philosophiæ.

Ita etiam Encyclica "HUMANI GENERIS" reprehendit illos qui dum ...

> "... hanc philosophiam [scholasticam] despiciunt alias extollunt sive antiquas, sive recentes, sive Orientis, sive Occidentis populorum, ita ut in animos insinuare videntur *quamlibet philosophiam* vel opinationem, quibusdam additis, si opus fuerit, correctionibus vel complementis, cum dogmate catholico componi posse; quod quidem falsum omnino esse, cum præsertim de commentis illis agatur, quæ vel "immanentismum" vocant, vel "idealismum", vel "materialismum" sive historicum, sive dialecticum, ac vel etiam "exsistentialismum" sive atheismum profitentem, sive saltem valori ratiocinii metaphysici adversantem, catholicus nemo in dubium revocare potest" (p. 573-4).

Admitto quod etiam *philosophia moderna* Kantiana, Hegeliana, Marxistica habeat quædam elementa veritatis, quia, ut dicit thesis ex critica, etiam in errore aliquid apprehendo, seu error, quia est privatio, non tollit omnem veritatem, sed *non potest applicari dogmati nisi totaliter mutetur*.

3. Scopus systematum est coordinare veritates acquisitas et præparare acquisitionem novarum conclusionum.

Nostra enim dogmata habent sæpe plures aspectus qui possent videri contrarii et hæresis est negare unum aspectum qui videretur non posse conciliari cum alio.

a) Ita fides et gratia habent elementum sive obiectivum, scilicet quod veniat a Deo, sive subiectivum, scilicet quod sit aliquid reale in nobis: unde Ecclesia damnat sive Protestantes qui dicunt iustificationem esse quid mere extrinsecum seu forense, sive Modernistas qui dicunt omnia procedere ex subconscientia.

b) Pariter B. Virgo fuit redempta; et tamen nullum habuit peccatum.

c) Christus pro nobis satisfecit et meruit; et tamen requiritur nostra cooperatio et satisfactio: non quia merita Christi non sufficiant, sed quia ipse meruit nos posse mereri et Deus vult ut nos mereamur.

d) Sacramenta agunt ex opere operato; et tamen requiritur cooperatio nostra.

e) Sacrificium crucis est sacrificium unicum Novi Testamenti et infiniti valoris; et tamen renovatur in Sacrificio Missæ.

f) Deus est infinitæ bonitatis et misericordiæ; et tamen punit pro peccato per totam æternitatem.

g) Deus remittit peccata pœnitentibus; et tamen manet sæpe pœna luenda in Purgatorio.

h) Homo lapsus nequit suis viribus diu observare totam legem seu vincere omnes tentationes sine gratia; et tamen peccat si cedit (quia habet gratiam ad resistendum).

i) Deus vult ut omnes salventur; et tamen non omnes salvantur: ex alia vero parte voluntas Dei semper impletur.

l) Ingredi in Ecclesiam est necessarium ad salutem; et tamen potest quis salvari si nihil sciat explicite de Ecclesia.

m) Baptismus est necessarius et confessio pro illo qui peccaverit graviter; et tamen per actum contritionis et amoris remittitur peccatum originale et actuale.

n) Vera Christi Ecclesia est sancta; et tamen sunt in ea multi peccatores.

o) Deus est unus; et tamen est etiam Trinus.

p) Deus est immutabilis; et tamen creavit in tempore et in tempore factus est homo.

Ex quo sæpe factum est ut haberentur duæ hæreses oppositæ circa idem dogma. Ecclesia damnat simul sive thesim sive antithesim, damnat illos qui negant Christum esse Deum et qui negant esse hominem; damnat modalismum et tritheismum; damnat illos qui omnia tribuunt gratiæ, negantes liberum arbitrium, et illos qui omnia tribuunt libero arbitrio, negantes gratiam.

Ecclesia damnat, sed ipsa non constituit synthesim scientificam quam relinquit theologis; et systemata theologica sunt quædam conamina ad ostendendam conciliationem in aliqua synthesi superiori elementorum in apparentia contrariorum. Tunc quodlibet systema ponit in evidentiam aliquem aspectum particularem dogmatis et dicit alii systemati: videas periculum in quod potes ruere. Ita thomismus dicit molinismo: fac ut evites scopulum pelagianum; et molinismus dicit thomismo: fac ne impingas in scopulum Calvini et Jansenii. Quare studium diversorum systematum est optima via ad intelligenda dogmata et ad videndos multiplices eorum aspectus.

4. Ex eo quod Ecclesiæ magisterium præfert systema S. Thomæ, *deduci non potest alia systemata,* ut Alexandri Alensis, S. Bonaventuræ, Duns Scoti, Suaresii, et aliorum theologorum in Ecclesia probatorum, *esse inutilia* ad construendam synthesim dogmatum.

Sæpe enim ipsi Pontifices approbaverunt opera thomistarum, et molinistarum, qui erant oppositi in suis sententiis. Neque enim Pontifex intendit confirmare ut veras doctrinas contentas in libris vel systematibus quæ laudat, præsertim quando quæstiones agitantur in scholis catholicis; quare aliquando necessariæ fuerunt declarationes authenticæ contra eos qui nimis innitebantur litteris pontificiæ approbationis.

5. Tantum valet aliquod systema quantum valet non iam nomen auctoris qui illud fundavit, ut S. Augustinus vel S. Thomas, sed rationes intrinsecæ quas affert ad probanda sua principia; licet nomen auctoris possit esse argumentum non spernendum pro probabilitate extrinseca eiusdem systematis.

Potest enim aliquis doctor etiam minoris ingenii melius videre hodie in aliquo problemate theologico post tot concilia, quam S. Augustinus vel S. Thomas suis temporibus. Ita in facultate philosophica alumni primi anni plura sciunt circa personam et naturam quam Aristoteles vel Plato: nihil mirum ergo si quis theologus minoris ingenii dicat aliquid verius circa aliquod problema quam id quod dixerunt S. Augustinus vel S. Thomas.

Est illusio multorum qui nullum admittentes progressum volunt redire, ut dicunt, ad puram doctrinam primitivæ Ecclesiæ, vel ad S. Augustinum vel S. Thomam: ita Baius et Jansenius qui sub prætextu redeundi ad fontes protulit saltem quinque monstra hæreseos.

Quod etiam nunc accidere videmus, Encyclica "HUMANI GENERIS" testante:

> "Quæ in Romanorum Pontificum Encyclicis Litteris de indole et constitutione Ecclesiæ exponuntur, a quibusdam consulto neglegi solent, ea quidem de causa ut prævaleat notio quædam vaga, quam ex antiquis Patribus, præsertim græcis, haustam esse profitentur. Pontifices enim, ut *ipsi dictitant,* de his quæ inter theologos disputantur iudicare nolunt, itaque *ad pristinos fontes redeundum est et ex antiquorum scriptis recentiora Magisterii constitutiones ac decreta explicanda sunt.*" (p. 568)

Hæc oportet facere et illa non omittere: scilicet oportet ire ad fontes sed simul habere præsentem progressum theologorum.

CAPUT 14
DE DOCTRINA SECURA SEU DE PRÆCEPTIS DOCTRINALIBUS ET DE PROHIBITIONE LIBRORUM

1. Aliud est infallibilitas et aliud est securitas.

Nam quod hæc duo, infallibilis veritas et securitas, non semper coincidant, est manifestum ex eo quod multæ sententiæ probabiles et probabiliores dicuntur sanæ et securæ. Et tamen absolute non repugnat quod sint falsæ. Auctoritas Ecclesiæ latius patet quam infallibilitas.

2. Ecclesia quæ habet auctoritatem infallibilitatis in definiendo dogmate et in rebus connexis cum dogmate, habet auctoritatem infallibilis securitatis in præceptis doctrinalibus.

3. Voco *præceptum doctrinale* illud quo imponitur aliqua doctrina suscipienda promulgata a Pontifice, etsi non definita infallibiliter, imponitur reverenda sine contradictione, immo et tenenda in praxi.

4. Dum auctoritas infallibilitatis non potest a Papa communicari aliis, auctoritas securitatis communicatur Congregationibus Romanis.

5. Præcepta doctrinalia efficiunt aliquam certitudinem moralem et exigunt obœdientiam christianam.

Hæc certitudo est solum moralis, quia magisterium noluit infallibiliter definire. *Quare assensus non potest esse absolute indubius et super omnia firmus, sicut in dogmate.* Sed ex hoc non sequitur quod liceat fidelibus pro libitu dubitare interius, vel suspendere assensum manendo in silentio obsequioso: nam admitti debent plures species assensus interni, qui locum habere possunt inter dubitationem et assensum super omnia firmum. Quia ut præstari possit subiectio et obœdientia intellectus non requiritur tamquam conditio necessaria quod superior præcipiens sit infallibilis, vel si est infallibilis ut papa, velit adhibere suam infallibilitatem.

Quidquid enim vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, sic accipiendum est quasi præcipiat Deus; quare subditus dubitans an res præcepta sit licita necne, sit vera an falsa, nisi habeat evidentiam in contrarium, tenetur dubium deponere, tenetur obœdientiam

præstare, tenetur subiicere voluntatem et intellectum auctoritati præcipienti, non quidem in opinione speculativa, sed in iudicio practico de honestate et necessitate actionis sese subiiciendi.

Ergo *necessarius est non talis assensus* quo iudicetur doctrinam esse infallibiliter veram aut falsam, sed *ut iudicetur doctrinam in tali iudicio contentam esse securam*, vel simpliciter vel pro præsentibus adiunctis rerum, *et nobis ex motivo obœdientiæ esse tenendam.*

Si vero alicui docto viro apparent rationes gravissimæ, ille tunc potest suspendere assensum sine temeritate et sine peccato donec recurrat ad iudicium Romani Pontificis. Interea tamen etiam pro illo est necessaria externa obœdientia ne scandalum præbeat.

6. Præcepta doctrinalia distinguuntur in positiva et negativa.

Sicut in definiendo dogmate Ecclesia adhibet capita conciliorum et canones.

7. In forma positiva Ecclesia vel præbet quasdam propositiones subscribendas vel approbat nominatim aliquem scriptorem.

Ita Bautain debuit subscribere quædam propositiones (Dz. 1622) quæ sæpe veniunt in theologia. Bonnetty similiter (Dz. 1649 ss.) de spiritualitate animæ.

Sunt præcepta doctrinalia. Ita etiam, Congregatio Rituum declaravit quod in operibus S. Alphonsi nihil est censura dignum. Præceptum doctrinale est hoc sensu: non quatenus omnes obligantur sequi S. Alphonsum, sed quatenus in eius operibus nemo potest dicere inveniri doctrinam contrariam Ecclesiæ.

Præceptum doctrinale de sequendo S. Thoma bene explicatur in D. 2191-2192: cuius documenti vis est ista: Ecclesia præfert rationem docendi, doctrinam et principia S. Thomæ; sed in illis rebus de quibus disputari solet inter auctores melioris notæ, Ecclesia relinquit libertatem. Certe tamen ex illa præferentia ex parte Ecclesiæ accedit ad S. Thomam auctoritas quam nemo alius habet et divina Providentia non sine ratione singulari dirigit mentem Ecclesiæ ad illam præferentiam.

8. Ecclesia damnat aliquando propositionem sine ulla censura (Dz. 1322 ss.)

In his casibus damnatio est *præceptum doctrinale.*

9. Præceptum doctrinale est etiam quando Ecclesia de quibusdam propositionibus dicit quod tuto doceri non possunt.

Quando hoc legis de aliqua propositione ex his verbis potes deducere tantum hoc: saltem hodie hæc propositio non est secura; non potes

deducere quod [contradictoria] sit communis et certa, vel theologice certa, vel doctrina catholica, licet ex aliis rationibus faciliter posses deducere has notas.

Ex. gr. Dz. 1659 ss.: contradictoria huic primæ propositioni est theologice certa ex alio capite, scilicet ex immediata deductione ex Concilio Viennensi. Aliud exemplum sunt propositiones de scientia animæ Christi (Dz. 2183 ss.): scientia illius visionis est theologice certa alio capite, non ex hac damnatione, sed ex dogmate unionis hypostaticæ.

10. Decreta Congregationum Romanarum circa aliquam doctrinam, emissa ex speciali mandato et approbatione Pontificis, et suo iussu promulgata, habent valorem præcepti doctrinalis.

Sunt illa decreta in quibus dicitur *"facta relatione, sanctissimus approbavit et confirmavit"*. Ista decreta sunt legitima, sed adhuc non sunt decreta pontificia, nisi pontifex illa faciat sua et suo nomine edat. Ergo ista decreta habent utique minorem vigorem quam decreta Pontificis, sed iis etiam obœdientia debetur sub gravi, ut patet ex Vaticano Concilio. (D. 1820) Huiusmodi decreta sunt multa, (v.g. Dz. 2110 ss.; 2115 seq.; 2121 seq.; 2129 seq.).

De his omnibus dicitur quod Pontifex approbavit; *tamen non sunt definitiones fidei*: si quis ergo dicat quod liber Isaiæ non est Isaiæ sed alius auctoris, non est hæreticus.

Per se hæc decreta non sunt documenta irreformabilia.

11. Decreta Congregationum Romanarum quæ continent præceptum doctrinale, etsi emittantur mera auctoritate Congregationis, exigunt tamen obœdientiam sub gravi.

Exemplum sit de igne Inferni (Lennerz, *De Novissimis*, p. 42). Quod propositio sit theologice certa aliunde deducitur, scilicet ex consensu theologorum et Patrum (ibi pag. 76, n. 124, valde instructiva). Hic vides quod veteres de notis loquebantur non cum tanta acribia ut nos.

12. Præcepta doctrinalia, sive positiva sive negativa intelligenda sunt cum maxima limitatione.

Nam odia restringi debent; eiusmodi autem præcepta sunt res odiosæ, ut in iure loquimur de rebus odiosis, quia etiam sine usu infallibilitatis circumscribunt libertatem intellectus; quare obœdientia illis est sacrificium quod Ecclesia vult imponere solum secundum minimum possibile.

13. Aliqua propositio prohibita, si notabiliter mutatur et explicatur cum aliqua expositione recta, sustineri potest.

Ita: "Christus est creatura," simpliciter dictum sustineri nequit; sed cum ista expositione: *est creatura secundum naturam humanam quæ revera creata est*, defendi potest. Cum aliqua expositione ergo intelligi debent multa dicta Patrum, ut S. Augustini, quæ videri possent favere alicui hæresi, v.g. quod omnes virtutes paganorum sint vitia vel quod gratiæ Dei resisti non potest.

14. Non est præceptum doctrinale approbatio quam Pontifex cum suis litteris dat alicui libro.

Approbatio non importat quod opus impugnari nequeat. *Neque est iudicium ex cathedra aut approbatio alicuius Congregationis Romanæ illa verba*: "Nihil censura dignum", quæ ponuntur circa opera alicuius Sancti canonizati.

Ex his verbis nequit deduci quod S. Sedes approbat doctrinam illius Sancti. Illa doctrina potest modeste impugnari sine ulla temeritate, si quis habeat bonas rationes impugnandi, etiam si Servus Dei sit canonizatus.

15. Mera prohibitio alicuius libri non est censura theologica.

Decreta enim huiusmodi sunt mere disciplinaria.

Voco *disciplinam* regimen Ecclesiæ ex potestate iurisdictionis, quæ sola est potestas propria et principalis; (dum potestas ordinis et magisterii est instrumentalis, quia Ecclesia nec virtute propria sanctificat, nec auctoritate propria fidem definit sed tantum ut Dei instrumentum in ordine iuridico).

Ecclesia leges sua auctoritate, utique a Deo accepta, propria tamen, condit ut causa principalis.

Sunt res disciplinares illæ quæ sunt obiectum potestatis iurisdictionis, quæ respiciunt operationem fidelium dirigendam, per illas determinationes quæ possunt esse utiles vel necessariæ secundum adiuncta locorum et temporum.

16. Quando Ecclesia librum damnat non definit expresse hanc vel illam propositionem esse tenendam aut reiiciendam.

17. Quando prohibitio alicuius libri facta est modo ordinario, non ideo auctor considerandus est ut hæreticus vel nullius auctoritatis in rebus quas tractat.

Liber S. Roberti Bellarmini *de Potestate Romani Pontificis* fuit positus in Indice a Sixto V, sed statim post mortem huius Papæ fuit expunctus ex Indice. Ita "Concordia inter laborem et quietem" P. Pauli Segneri, qui est auctor librorum asceticorum primi ordinis. Ceterum sufficerent exempla Tertulliani et Origenis, qui licet hæretici in quibusdam, in aliis habent aliquam veram auctoritatem.

18. Potest fieri sine læsione principiorum catholicorum quod afferatur ut auctoritas scriptor aliquis cuius aliquod opus sit in *Indice*, etiam in illa materia in qua habuerit aliquas propositiones damnatas.

Ita Fénelon, cuius sunt 23 propositiones damnatæ ab Innocentio XII, est certe tamen magna auctoritas in rebus asceticis (Dz. 1327 seq.).

Et generatim debemus resistere alicui nostræ tendentiæ periculosæ: nos cognoscimus aliquos auctores per incidentiam: en auditor, qui in primo anno Philosophiæ audit confutationem Platonis, Duns Scoti, S. Bonaventuræ et Suaresii; deinde confutationem, S. Anselmi; et hos auctores quos cognoscit solum in confutatione, vel ut adversarios, putat quasi nihil boni dixisse et iudicat de illis cum aliqua æstimatione minori: est tendentia errata quia nobis claudit viam ad inveniendos veros thesauros doctrinæ qui etiam apud illos auctores inveniuntur.

CAPUT 15
DE PROPOSITIONE PROXIMA HÆRESI, SCANDALOSA, ETC.

Sunt illæ notæ quæ recurrunt præsertim in theologia morali.

1. Est *propositio proxima hæresi* illa, quam etsi non omnes, plures tamen doctores et cum gravi fundamento dicunt esse hæreticam.

Ita si quis diceret: *parvuli non habent iustitiam inhærentem,* quia multi doctores dicunt in Concilio Tridentino (Dz. 799-800) definitam esse iustitiam inhærentem universaliter de omnibus. Vel si quis diceret: *S. Aloisius non est in paradiso,* vel *papa non est infallibilis in canonizatione.*

2. Similiter dicitur propositio *proxima errori* illa quæ negat propositionem, quæ plerisque videtur esse conclusio theologice certa, sed non omnibus.

Conclusio enim aliqua theologice certa potest ex his capitibus debilitari:

a) si deducitur *ex una* evidenti *et altera* quam plerique, licet non omnes, iudicant esse de fide: tunc ab illis plerisque dicitur theologice certa; ab aliis non; qui eam negaret, diceret aliquid errori proximi.

b) Si deducitur *ex una* indubitanter revelata *et altera* evidenti, per illationem quam plerique, sed non omnes, iudicant evidentem.

Do exemplum: quod Filius Dei procedat per intellectum, esset conclusio theologice certa pro omnibus, si absolute certum esset vox "Verbum" esse nomen proprium Filii et non solum appropriatum (cf. De Regnon).

Utique in manualibus, quod procedat per intellectum, dicitur *theologice certum* quia fere omnes dicunt *theologice certum.* Qui hoc negaret posset dici *errori proximus.* Similiter de Spiritu Sancto quod procedat per voluntatem.

3. Propositio *sapiens hæresim* et *suspecta* est quæ dat ansam timendi ne auctor illarum habeat apud se hæresim aliquam vel errorem ex quibus oriatur illa propositio; fundamentum autem, licet sit reale, non est sufficiens ad iudicandum absolute esse hæresim vel errorem.

Ita Ioannes XXII damnavit 11 articulos Ekardi (Dz. 516-526), licet cum multis expositionibus habere possent sensum catholicum et multa inveniantur in mysticis omnino similia.

4. *Propositio scandalosa* est illa quæ præstat occasionem ruinæ spiritualis, inclinando auditores ad peccata vel avocando eos ab exercitio virtutum.

Ita dicere male de statu religioso est propositio scandalosa; ut fit in familiis a parentibus quando aliquis puer vult fieri religiosus vel clericus; vel exaggerare pericula exercitiorum piorum; vel dicere coram populo: *quis scit an hæc hostia sit consecrata? Quis scit an hoc sit corpus illius Sancti et non potius alicuius malefactoris?* Ista omnia in aliquo vero sensu possunt non esse contra fidem, sed generant scandalum et removent homines ab exercitio pietatis. (Dz. 1151 ss.)

5. Propositio *male sonans*, licet non det fundamentum audientibus iudicandi vel suspicandi adesse hæresim, peccat tamen in abusu vocum diversarum ab usu communi quo solent a fidelibus usurpari.

Ita si quis dicat: periculosum est facere clerum divitem; vel Papa non debet dici "sanctissimus" ratione officii; vel in Deo sunt tres essentiæ relativæ: hæc propositio non habet suspicionem hæresis in proferente, sed est male sonans, quia nomen essentiæ reservatum est a doctoribus ad id solum quod commune est omnibus personis.

6. Propositio *offensiva piarum aurium* seu *catholicarum* est quæ continet aliquid indignum vel indecentiam in materia religionis.

Sicut enim lingua et nares, etiam aures habent iudicium suum quo respuunt absurdos et abhorrentes sonos. Supponamus aliquem qui sit excommunicatus: si prævia contritione iustificatus, occidatur deinde propter fidem et fiat martyr ante absolutionem a censura: in rigore est verus martyr; si quis autem dicat: hodie colimus aliquem publicum excommunicatum, offenderet pias aures. Ita si quis dicat; Ecclesia nobis narrat fabulas relate ad illa facta historice non vera quæ sunt in Breviario. Ita si quis dicat: S. Magdalena meretrix, ora pro nobis; S. Petre, periura et apostata, ora pro nobis. Hoc retineas ne proferas aliquid indecororum quando loqueris de aliquo Sancto qui aliquando fuerit peccator. Nam non omnia quæ sunt vera possunt etiam dici quomodocumque vel in publico.

Nunc surgit problema: quando Ecclesia damnat propositionem cum his inferioribus censuris estne infallibilis?

Nam vidimus quod propositio aliqua solum communis (non dico *communis et certa*) absolute potest esse falsa, aliis verbis potest aliquando fieri cum temeritate aliqua assertio quæ tamen vera sit; id quod posset videri imprudenter dictum, absolute posset esse verum; absolute non repugnat quod aliqua assertio damnata ut temeraria, fieri possit postea aliquando, mutatis adiunctis et accedentibus novis argumentis, non amplius

temeraria. V. gr. Dz. 1191 nunc non est scandalosa quia adiuncta mutata sunt. Patet quod dogmata ita mutari non possunt, quia dogmata sunt veritates a Deo prolatæ quæ non dependent a novis adiunctis rerum.

7. Respondeo : illud est infallibiliter verum quod præcise definit Ecclesia.

Si ergo Ecclesia definit doctrinam esse revelatam (v.g. Immaculatam Conceptionem), non tantum ipsa doctrina est infallibiliter vera, sed etiam factum quod est revelata. Si aliqua assertio damnatur ut falsa et erronea, contradictoria est necessario vera, sed non definitum est utrum etiam sit revelata, vel tantum connexa cum revelatione (cf. Dz. 1516 ex quo deducitur quod status Adami fuerit supernaturalis quoad substantiam : *theologice certum*). Si damnatur ut temeraria, infallibiliter verum est hoc : saltem nunc ista assertio est temeraria (de futuro nihil). Si damnatur ut scandalosa et offensiva, certum est quod saltem nunc sit scandalosa et offensiva (Dz. 1159) vel sit scandalosa uti iacet. Nam hæc propositio (Dz. 1159), licet sit vera, non est prædicanda quia foveret aliquam rem quæ potius frenanda est.

8. Est theologice certum quod Papa non potest errare in censuris etiam inferioribus ut sunt temerarium, sapiens hæresim, male sonans, etc. Verum est enim quod iudicium de his censuris pendet ex notitia aliqua humana non revelata : v.g. pendet e sententia Patrum ex qua recedit temeritas ; ex significatione vocum, et ex specie quam voces ingerunt auditoribus, sed hoc modo omnis actus fidei, omnis cognitio supernaturalis pendet ab aliqua notitia humana ; sed pendet tamquam a conditione, non tamquam a causa. In hoc iudicio Deus non permittit errare Pontificem, qui debet indicare fidelibus scopulos quos vitare debent, et voces quas debent usurpare vel fugere ut proprie loquantur de rebus salutis : (cf. quæ diximus de definitione huius facti dogmatici : transubstantiatio est vox apta).

CAPUT 16
DE IIS IN QUIBUS ECCLESIA NON EST INFALLIBILIS

1. Potest accidere quod in aliquo documento etiam authentico asseratur aliqua doctrina mere humana (non dico definiatur ut de fide); in hoc casu theologus debet bene distinguere doctrinam revelatam ab alia mere humana.

Ita S. Officium declaravit Galileo quod propositio quæ affirmaret solem stare et terram moveri esset falsa; atque ita sentiebat etiam Urbanus VIII, sed non definivit. Ita etiam Bonifacius VIII in celebri bulla "Unam sanctam" dicebat, ut videtur, non iam definiebat, quod auctoritas reipublicæ proveniret ab auctoritate spirituali Pontificis (Dz. 469), quod hodie non admittitur.

2. In illis rebus quas Deus non docuit in Scriptura vel Traditione, et in illis rebus quæ cum Scriptura et Traditione non sunt coniunctæ neque proxime neque remote Ecclesia non habet competentiam directam.

Nullum est dubium de scientiis mathematicis et physicis : hæc sunt extra competentiam ecclesiæ. Etiam *philosophia moralis* et *metaphysica* sunt extra infallibilitatem Ecclesiæ in suis partibus mere opinativis et disputatis quamdiu magisterium ecclesiasticum judicat eas esse meras opiniones, *non iam* in illis principiis quæ supra retuli. Ecclesia non est infallibilis in artibus, in philologia, epigraphia, in archæologia, in historia ecclesiastica et profana, nisi dicant aliquam relationem essentialem ad revelata.

3. Licet Ecclesia non possit errare in stabiliendis principiis et legibus moralibus, potest tamen errare in regimine applicato ad adiuncta temporis loci et personæ.

Adiuncta enim sunt multum variabilia. Quare auctoritas Ecclesiastica potest putare aliquam personam culpabilem dum est innocens; vel aliquem aptum ad episcopatum dum est ineptus; potest supprimere aliquem ordinem qui multa bona patrat, ut Clemens XIV suppressit Societatem Jesu. Ideo contingit aliquando ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus, et qui liber est apud Deum, ecclesiastica sententia sit innodatus.

Sed licet quis damnetur iniuste, numquam habet jus faciendi schisma nam hierarchia habet jus imperandi etiam ubi non est infallibilis et si ipsa habet jus subditus obœdire tenetur.

4. Non omne quod est *in Martyrologio* est certum et irrefragabile.

5. Est theologice certum quod Ecclesia in canonizatione sanctorum sit infallibilis; non est theologice certum quod sit infallibilis etiam in beatificatione.

6. Quando Ecclesia recipit in *libris liturgicis* aliquod factum, per se non profert iudicium de veritate intrinseca illius, sed illud recipit secundum opinionem publicam quæ est circa ipsum.

Quando autem certa fiat de falsitate, Ecclesia corrigit librum liturgicum.

7. Præsertim in miraculis antiquis quæ narrantur (non dico in Scriptura) quædam reperiuntur ficta (Canus dicit multa).

De miraculis nempe vel revelationibus privatis, vel apparitionibus, de multis factis vitæ alicuius sancti seu etiam reliquiis hoc retinendum est: quando Ecclesia approbat miracula alicuius sancti in processu canonizationis, vel illa miracula recenset in Breviario, vel instituit festum speciale pro aliqua apparitione ut est Immaculatæ Virginis Lapurdensis, S. Michælis Archangeli, Translatio domus Lauretanæ, vel authenticitas et cultus alicuius reliquiæ ut scalarum sanctarum: in his Ecclesia non intendit habere nisi probabilitatem aut certitudinem humanam eamque practicam, quæ scilicet satis sit ad fovendum cultum. Hæc utique merentur piam adhæsionem et reverentiam quæ debetur sententiæ Ecclesiæ etiam quando non est infallibilis.

Ita si quis negaret quod Beata Virgo fuerit in templo præsentata, vel apparitiones varias, non committit peccatum contra fidem, licet aliunde possit peccare et graviter, et licet hoc non possit, saltem publice, doceri. Aliud etiam est canonizatio, aliud insertio in Martyrologium: ista insertio non est semper probatio infallibilis sanctitatis, quia Ecclesia infert in Martyrologium etiam beatos et aliquando venerabiles.

8. Licet leges ecclesiasticæ nihil possint continere minus recti, possent tamen aliquando non attingere illum gradum perfectionis quem exigerent tempora, loca et adiuncta varia.

9. Potest accidere quod Romanus Pontifex erret in sua vita et iudicio privato, in diiudicanda politica, in suis relationibus cum guberniis.

Non tam facile admittendus sit error: quia Romanus Pontifex multa cognoscit quæ nemo alius potest cognoscere ut ipse, et quæ viderentur

imprudenter statuta illis qui ignorant diversa adiuncta, sunt præcisæ illa quæ requirebantur et quæ nos ipsi fecissemus si fuissemus in illo loco.

10. Potest accidere quod omnes fideles habeant aliquam opinionem circa res divinas quæ opinio tamen sit falsa.

Hoc non potest accidere in illis rebus quas Ecclesia credit de fide divina. Neque potest accidere ubi consensus sit in aliquam rem non ut in opinionem sed ut in rem certam.

11. Potest, licet rarissime, accidere quod theologi reputent aliquam sententiam communem vel fere communem quæ tamen sit falsa.

Ita erat opinio aliquando communis quod materia sacramenti ordinis esset traditio instrumentorum: hodie non amplius admittitur.

PARS SECUNDA

DE NOTIS SIMUL COMPARATIS

	NOTA THEOLOGICA	CENSURA	ASSENSUS
1	DOGMA FIDEI = DE FIDE, = DE FIDE CATHOLICA; = DE FIDE DIVINA ET CATHOLICA (Dz 1792). Doctrina (= iudicium) revelata, revelatione publica, de fide et moribus, definita ut revelata	*Anathema sit* *Hæresis* contra fidem divinam	*Absolutus* ex lumine fidei divinæ
2	DE FIDE ECCLESIASTICA DEFINITA	*Anathema sit* Hæresis contra fidem ecclesiasticam	*Absolutus* Ex lumine fidei ecclesiastica
3	DE FIDE DIVINA = Materia revelata sed non proposita ab Ecclesia	Error in fide	*Absolutus* Ex lumine fidei divinæ
4	PROXIMA FIDEI	Errori proxima	*Theologicus* ex lumine: • fidei • Magisterii Ecclesiæ rationis
5	THEOLOGICE CERTUM	Error in theologia	
6	DOCTRINA CATHOLICA Aliqui ponunt ante *Theologice Certum*	Saltem temeraria	
7	CERTUM, COMMUNE ET CERTUM, MORALITER CERTUM Pro aliquibus = Theologice certum	Temeraria	
8	SECURUM seu TUTUM Contrarium tuto doceri non potest		*Externus* (+ *Internus* nisi obstet ratio gravis)
9	COMMUNIUS, COMMUNISSIMUM — quod dicit minus quam *commune*	Nulla	Liber
10	PROBABILIUS, PROBABILE • probabilitate extrinseca ex auctoritate • probabilitate intrinseca ex natura rei		

PECCATUM	EXPLICATIONES	EXEMPLA
Mortale Directe contra fidem + pœna canonica	= Dogma solemni modo definitum a Papa vel a Concilio Generali **De Fide Definita**	• Immaculata Conceptio Beatæ Mariæ Virginis • Sacrificium Missæ • Iurisdictio Pontificis definita in Vaticano
	= Dogma ex ordinario Magisterio propositum in documentis officialibus et in symbolis	• Absentia omnis erroris in textu inspirato (Dz 1952) • Symbolum Athanasii
	Materia non revelata sed definita ex cathedra	• Communio sub una specie (Dz 626) • Chrismatio (Dz 872) • ordines minores (Dz 962)
Mortale Directe contra fidem	Differt a dogmate quia non proponitur ab Ecclesia	• Christus ab initio vitæ suæ dixit se esse Messiam • Meruit sibi animæ impassibilitatem et corporis gloriam
Mortale Indirecte contra fidem	Ex fere unanimi consensu habetur ut revelata	• Gratia habitualis et visio beatifica in Christo • Monogenismus contra polygenismum
	• Ex propositionibus revelata et certa aliunde • Facta dogmatica	• Exsistentia Dei potest demonstrari • Concilium Tridentinum est legitimum
	Nondum ut Verbum Dei sed expresse et authentice docetur, v.g. in encyclicis	Auctores inspirati sunt auctores veri sed secundarii
Possibile *mortale* temeritatis	• Commune omnibus scholis • Certum sed minus immediate conclusum ex veritate revelata	• Quod integritas sit donum indebitum • Sacramenta sunt veræ causæ
Mortale inobœdientiæ	Absolute non repugnat quod sit aliquid falsi	• Quæ continentur in decretis *doctrinalibus* Congregationum Romanarum
Nullum		• Deletio peccati per ipsam infusionem gratiæ • Filiatio adoptiva ex ipsa gratia creata
		Systemata (v.g. Molinismus vel Bañezianismus)

Schema Notarum

Valor notarum decrescit descendendo in scala — Ascensus in scala est possibilis — Nota superior continet notas inferiores — Omnes notæ inferiores dicunt relationem ad Dogma (Videas hoc in qualibet thesi)

Dogma nunquam potest in scala descendere — *Campus fidei* : ex Dogmate usque ad De Fide Divina — *Campus infallibilitatis* : ex Dogmate usque ad Theologice Certum (pro aliquibus usque ad Commune et Certum) — *Campus theologiæ* : Ex Dogmate usque ad Probabile

Censuræ : captiosa, male sonans, piarum aurium offensiva, scandalosa (v.g. Dz 1541) sunt ex alio capite et recurrunt præsertim in Theologia morali, quatenus possunt præbere scandalum, male sonare, etc.

CAPUT I
DE RATIONE INSTITUENDÆ THEOLOGIÆ POSITIVÆ ET SPECULATIVÆ

1. Omnis nota superior continet in se notam inferiorem et dicit aliquid plus.

Ita quæ sunt dogmata sunt etiam de fide divina, sunt doctrina catholica, sunt theologice certa, sunt communia, sunt multo plus quam commune et certum. Propositiones hæreticæ sunt erroneæ, sunt temerariæ et multo plus. Quæ sunt proxima fidei sunt et doctrina catholica et theologice certa et communia. Quæ sunt erronea, sunt etiam temeraria, sed non vice versa: quæ sunt temeraria non sunt certo erronea.

Fere æquivalentia sunt *doctrina catholica* et *theologice certa*. Omnia quæ sunt doctrina catholica possunt dici et theologice certa, et omnia theologice certa possunt dici doctrina catholica. Quæ sunt theologice certa sunt communia, secura et multo plus.

Notæ quo propinquiores sunt eo magis est difficile eas distinguere.

2. Si facimus comparationem inter obiecta fidei, obiecta infallibilitatis Ecclesiæ et obiecta theologiæ, videbimus quod campus fidei est minor, campus theologiæ est maximus, campus infallibilitatis est medius.

Obiecta fidei sunt solum dogmata fidei et *de fide divina*; obiecta fidei ecclesiasticæ sunt quæ sunt definita ab Ecclesia licet non sint dogmata. Propositiones proximæ fidei iam sunt extra campum fidei saltem quamdiu non definiantur. Obiecta infallibilitatis Ecclesiæ sunt usque ad theologice certa; in quibusdam autem est dogma fidei quod Ecclesia sit infallibilis, i.e. in definiendis rebus revelatis; in aliis est theologice certum quod sit infallibilis, scilicet in propositione theologice certa et in factis dogmaticis. Quoad alias propositiones infra theologice certas, Ecclesia est infallibilis in dicendo quod sunt v.g. temerariæ vel scandalosæ.

In his et in securis debetur Ecclesiæ obœdientia sub gravi, intellectus et voluntatis, nisi obstet ratio gravis, ut pro Galileo.

Obiectum autem theologiæ sunt omnia.

3. Theologia vero in quantum quærit in fontibus quid sit revelatum dicitur *positiva*; in quantum ex dogmatibus quærit deducere propositiones theologice certas vel communes dicitur *speculativa*, ut est scolastica.

I. De ratione instituendæ theologiæ positivæ

Theologia positiva fit *analyzando documenta*, ut supra explicavi. Potest autem modus probationis generatim se habere quadrupliciter:

a) *Primo*, veritas in sensu determinato ostenditur sufficienter contenta in Revelatione: quod ostenditur vel per authenticam definitionem vel per consensum universalem. Ita, e.g. theologica demonstratio SS. Trinitatis instituta ex Math. 28, 19: in hac hypothesi assensus theologicus in ipsam veritatem est idem ac assensus fidei; scientia theologica in eo solum distinguitur a fide quod habet magis distinctam cognitionem modi Revelationis. Ita probantur omnes theses quæ sunt *de fide divina et catholica*.

b) *Secundo*, fieri potest ut veritas aliqua, de cuius theologica demonstratione quæritur, nondum sit sufficienter in catholica fide proposita; et tamen ex alia parte sufficienter pateat contineri in verbo Dei revelato. Tunc illi datur nota *de fide divina*, non adhuc *de fide catholica*.

c) *Tertio*, potest accidere ut aliunde quidem constet de veritate revelata, specialis tamen locus ex quo probatio instituitur, solum plus minus vel probabile argumentum suppeditet, quia sensus loci non potest plene probari rationibus intrinsecis vel extrinsecis; ita de Assumptione: sufficienter constat ex consensu universali quod sit factum revelatum, nam est factum quod solum Revelatione sciri potuit; et tamen si quæris locum Scripturæ vel Traditionis, documenta ex quibus probari posset apodictice in omnibus sæculis, fortasse non habeo. Sed Ecclesia eam definivit, neque est dogma novum, quia licet Revelatio iam clausa sit per mortem ultimi Apostoli, Ecclesia nobis digito, ut ita dicam, demonstrat alia dogmata de Maria et nobis dicit: in illis continetur revelatum etiam hoc aliud de Assumptione.

d) *Denique* non raro deductio alicuius sententiæ ex verbo Dei non excedit limites probabilitatis; et tunc constituitur sententia vel *opinio theologica*. Ex his omnibus possum concludere: *probatio thesis per theologiam positivam non fit ad gignendum assensum in eandem veritatem, sed ad maiorem eius declarationem.*

II. De ratione instituendæ theologiæ speculativæ

Theologia speculativa fit *triplici modo*, ut dicit Concilium Vaticanum (D. 1796), scilicet:

a) ex analogiis inter veritates revelatas et data rationis,

(i) *Quædam analogiæ iam fundantur in ipsa Revelatione*: ita conceptus personæ, paternitatis, relationis, generationis, verbi, et nomina multiplicia quibus Scriptura tradit nobis perfectiones divinas; inter processionem lucis et generationem Verbi: *lumen de lumine*; et *sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.*

(ii) *Aliæ analogiæ dignæ quæ bene videantur* sunt: analogia inter fidem humanam et divinam, ex qua theologi faciunt deductiones summi momenti pro actu fidei; analogia inter spem et amorem humanum cum spe et caritate

theologica, inter conversiones substantiales in natura creata et conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi; inter motum localem et præparationem ad iustificationem; inter principium vitæ in ordine naturali et gratiam sanctificantem in supernaturali cum suis facultatibus quæ sunt virtutes; inter satisfactionem iuridicam et satisfactionem Redemptoris; inter materiam et formam cum materia et forma Sacramentorum; inter societatem humanam et divinam quæ est Ecclesia.

(iii) In his analogiis: (α) Ante omnia data rationis sunt plene analyzanda sicut fit in definitione terminorum, ut constructio theologica fundetur super solidam basim. (β) In mentem revocate longas analyses circa conceptum formalem processionis, generationis, amoris, signi, causæ, relationis, personalitatis, cognitionis et dictionis, locutionis, scientiæ, fidei, agnitionis, cognitionis, intellectus, infallibilitatis, inspirationis, supernaturalis, efficaciæ gratiæ, ex opere operato. (γ) Deinde sunt clare exponendæ similitudines et dissimilitudines inter data rationis et doctrinam revelatam, sive ut omnes similitudines attribuantur conceptui revelato sive ut omnes dissimilitudines negentur; v.g. similitudines et dissimilitudines inter generationem divinam et generationem humanam, inter processionem verbi humani et processionem Verbi Divini, inter unionem hypostaticam et unionem quæ est in nobis inter animam et corpus.

b) comparando veritates revelatas inter se,

(i) *Ita comparando diversa sacramenta* deventum est ad notionem Sacramenti quod est: signum efficax gratiæ; *comparando veritates revelatas de ordine supernaturali,* deducitur notio gratiæ stricte supernaturalis sive habitualis sive actualis, cum proprietatibus iis cohærentibus: gratia sanctificans quæ est principium vitæ continens in germine lumen gloriæ et capax producendi actus meritorios vitæ æternæ; et gratia actualis quæ adiuvat intelligentiam et voluntatem in omni actu supernaturali, sive præcedat gratiam sanctificantem, sive producatur ab ipsa. *Inquisitio* vero *notionum communium* duxit ad synthesim diversorum illorum principiorum quæ essent necessaria ad completam intellectionem earundem notionum.

Ita *natura Sacramentorum* non potuit plene cognosci sine inquisitione diversarum causarum ipsorum, vel modi quo producuntur, ipsorum effectuum, conditionum requisitarum ad validitatem vel liceitatem.

Similiter *notio gratiæ sanctificantis* et gratiæ actualis non potuit plene possideri sine inquisitione circa diversas earum proprietates, circa modum quo producantur vel agant in anima. Ita etiam applicando ad tractatum de Verbo Incarnato vel de Eucharistia varias quæstiones dialecticas: an sit, qualis sit, cur et unde sit, deventum est ad cognitionem magis profundam illarum veritatum.

(ii) Et *sic patet quod quilibet tractatus et quælibet thesis suo modo potest esse centralis* sicut in orbe terrarum, præcise quia est orbis, quælibet regio potest considerari ut centrum geographicum.

[5] 1. Deus est ab æterno et est unus et trinus; tres Personæ Divinæ sunt inter se realiter distinctæ, sunt perpetuo quietæ et perpetuo operantes; fruuntur una eademque essentia, atque ideo una eademque vita. Ipse est solus unus verus Deus, non iam est Deus unus solitarius.

2. Sed summum illud bonum, libere vult summe se diffundere. Unde creat in tempore, licet actus eius sit æternus; et realizat miram scalam creaturarum, eligendo inter multiformes ideas suas. Per creaturas manifestatur ad extra eius bonitas; hæc manifestatio est eius gloria. Gloria vero eius maxima consistit in creandis filiis maxime similibus sibi Patri.

3. Tales filii inter creaturas sunt angelus et homo, qui in potentia, intelligentia et voluntate sunt ad similitudinem Dei, ut ascendentes ex creaturis ad Creatorem, libere se submittant supremo dominio Dei, eumque glorificent et ament. Et sic Angelus et homo in gloria formali seu in cognitione et amore, reducunt ad Deum omnia quæ ex Ipso processerunt.

In tali cognitione et amore, sicut est ultima perfectio et beatitudo creaturæ, ita est summa gloria Dei ad extra.

4. Inde mirifica coincidentia: homo, ipso actu quo consequitur suam ultimam beatitudinem, simul glorificat Deum.

5. Per gratiam seu dono indebito, SS. Trinitas elevat hominem ad consortium divinæ naturæ. Homo habet novum principium vitale, per quod extollitur ad ordinem qui est supra naturam eius; intellectus per fidem initiatur in mysteriia divinis; voluntas per spem et caritatem rapitur in amorem Trinitatis; et ita homo fit capax faciendi opera divina, scilicet opera meritoria vitæ æternæ, ut tandem aliquando in patria fruatur vita intima Dei, Deum videndo et amando sicuti est, in lumine gloriæ.

6. Sed Deus simul permittit peccatum originale, et permittit quia est tam potens ut ex tali culpa nova mira bona Ipse faciat. Per mysterium enim Incarnationis reconciliantur extrema omnium; manifestatur simul iustitia et misericordia Dei; homo simul erigitur a lapsu, et intimius coniungitur cum Deo; dico intimius in tribus: in unione hypostatica, in Maternitate divina, et pro nobis singulis in Eucharistia, in corpore mystico, in ipsa gratia quæ est gratia nobis veniens a Fratre nostro.

7. Per mysterium Incarnationis Deus, qui summe transcendit hominem, fit homini summe vicinus et summe similis; datur mediator naturalis inter Deum et hominem; homo sanatur ab impotentia morali, ab obscuratione intellectus, a debilitate voluntatis; non solum restituuntur nobis bona supernuturalia, sed nostra natura elevatur super choros Angelorum; et per inhabitationem Trinitatis in nobis constituitur unio mystica fidelium cum Christo capite.

8. Manet tumen adhuc in hac vita pugna interna, vincenda cum gratia Christi. Quare Christus moritur in cruce, ut sensibiliter ostendat hominibus enormitatem peccati, ut detur in sua passione exemplum omnium virtutum, ut liberatio a morte æterna nobis comparetur, et ut nobis humiliatio et dolores fiant gloria et delectatio ex eo quod ita conformamur cum Christo.

(iv) Sed alio modo posset dici: *tota theologia reducitur ad studium circa diffusionem bonitatis divinæ* sive intrinsecam in Trinitate, sive extrinsecam in creaturas.

(v) Tota theologia posset construi circa notionem gratiæ, vel circa Eucharistiam, vel circa notionem caritatis, vel spei, vel fidei, vel inspirationis, vel Ecclesiæ ut corporis mystici.

Ipsum Sacramentum Matrimonii v.g. si consideramus quod in historia sæpe factum est ut parentes sancti habuerint filios sanctos, ut S. Augustinum, S. Theresiam, S. Ioannem Bosco, potest esse basis solidæ synthesis theologicæ.

c) comparando veritates cum fine supernaturali.

Ista comparatio lucem diffundit in omnibus veritatibus revelatis: ita si quis cogitat quod visio beatifica est participatio ipsius vitæ intimæ Dei, melius intelligit naturam gratiæ sanctificantis quæ ad illam disponit; melius intelligit totam œconomiam Revelationis christianæ quæ comprehendit hæc tria: veritates credendas de Deo uno et trino, de creatione et præsertim de homine; leges morales naturales et supernaturales; media interna et externa quibus Deus nos ad finem adducit, et sunt: Incarnatio, Gratia, Ecclesia, Sacramenta; lucem diffundit in admirabili cohæsione totius revelationis: Deus nobis sese manifestat secundum legem providentialem, non iam secundum mensuram quæ satisfaceret nostræ curiositati, (aut ad construendam synthesim scientificam integre completam) sed quatenus cognitio veritatum revelatarum sit necessaria nobis ad finem æternæ vitæ assequendum.

---

10. Idem Christus, summa imago Trinitatis, legislator, doctor, sacerdus, rex, ut reddat perenne et visibile opus suum etiam post suam Ascensionem, mittit Collegium Apostolicum cum triplici potestate qua Ipse missus est a Putre: scilicet cum potestate imperandi, docendi, sanctificandi. Est semper Ipse qui continuat per se regere suam Ecclesiam, sed invisibiliter hoc facit; quare simul constituendo Petrum suum Vicarium visibilem, Ipse per Petrum etiam visibiliter regit Ecclesiam.

Ergo caput Ecclesiæ est semper Christus; Petrus est solum caput visibile. Sic Ecclesia cum omnibus suis organis et membria agglutinatur Christo capiti; vivificatur tamquam ab anima, a Spiritu Sancto; est theandrica seu humano-divina sicut Christus est *Theandros*, scilicet est ipse Christus mystice seu mysteriose continuatus in terra.

11. Quare Ecclesia docet hoinines veritates Christi, dirigit eos iun viam Christi, sanctificat eos per Sacramenta Christi. Quæ ita assistunt fideles in omnibus momentis gravioribus vitæ a nativitate usque ad mortem. In maximo autem horum, scilicet in Eucharistia, Christus est præsens in Ecclesia, ut sacerdos et ut hostia, unde quodam modo prolongat duplex mysterium Incarnationis et Redemptionis.

Interea insignis Mater omnium Maria intercedit pro omnibus, mediatrix omnium gratiarum.

12. Ita Christus docet, regit, sanctificat, donec in fine mundi et iudicio universali bonos in cœlum inducat et malos in infernum detrudat; tunc tradet regnum Deo et Patri suo et per totum æternitatem Deus erit omnia in omnibus.

III. De argumentis ex convenientia

His omnibus corroborata ratio nostra in aciem descendit et instituit apologiam particularem cuiuslibet veritatis revelatæ. Qui labor apologeticus reducitur ad duo puncta: ostendimus in particulari non-valorem demonstrativum diversarum obiectionum contra mysteria, et simul ostendimus varias harmonias intellectuales, morales et sociales cuiuslibet veritatis cum indigentiis individualibus et socialibus humanitatis. Patet autem quod talia argumenta rationalia et convenientiæ non sunt consideranda ut argumenta vere demonstrativa sine Revelatione: ipsa solum ostendunt non-valorem obiectionum, vel convenientiam dogmatum. Si enim quis ad probandam fidem inducit rationes quæ non sunt demonstrativæ, cedit in irrisionem infidelium.

Unde argumentum vere probativum in theologia est solum hoc: *Ipse dixit.*

Quod alio modo potest exprimi dicendo: sicut in philosophia prima principia sunt prima principia rationis immediate evidentia, ita in theologia prima principia sunt veritates divinitus revelatæ et ut revelatæ propositæ ab Ecclesia.

Rationes ergo convenientiæ sunt utique bonæ ad exercitium et solatium fidelium, sed, non ad convincendos per se solæ adversarios; quia ipsa insufficientia rationum eos magis in suo errore confirmaret, dum æstimarent nos, propter tam debiles rationes veritati fidei consentire.

Quod valet etiam in argumentis rationis quæ afferimus ad solvendas difficultates adversariorum; fortasse valor demonstrativus nostrarum rationum non est multus. Sed sufficit nobis ostendere quod argumenta adversariorum, v.g. contra Trinitatem, non habent solidum fundamentum.

IV. De erroribus modernistarum

Ex hoc tamen non sequitur error capitalis rationalistarum, agnosticorum, modernistarum quod dogma non habeat ullum valorem intellectualem: habet enim, sed illum valorem cognosco ex Revelatione.

En responsiones ad illorum obiectiones:

1) *Ipsi dicunt*: "Si admittitur conceptio dogmatis intellectualistica, multi non possunt pervenire ad salutem, quia fides in dogmata est necessaria ad salutem: multi autem, ut rudes et pueri, non possunt percipere illum valorem intellectualem; ergo multi non possunt pervenire ad salutem et non esset verum quod Deus velit salutem omnium."

Respondeo: Dogmata explicite credenda ad salutem non sunt multa, et quantum ad necessitatem intelligendi eorum sensum obiectivum, sufficit quod rudes et pueri intelli...

et quod illis adhæreant ob auctoritatem Dei revelantis, quod faciunt eo ipso quod credere intendunt sicut credit Ecclesia, quam Ecclesiam cognoscunt ex auctoritate parochi vel parentum. Deinde numquam obliviscenda est gratia Dei quæ est etiam illuminatio in intellectum.

2) *Dicunt*: "Caritas saltem in hac vita superat in dignitate omnem cognitionem quam de Deo habere possumus!"

Respondeo: amor non potest existere sine aliqua cognitione finis supernaturalis et mediorum supernaturalium, quæ est cognitio intellectualis dogmatum.

3) "Conceptio intellectualistica dogmatis attulit prædominium philosophiæ scholasticæ, ex qua factum est ut cum simus *assueti ad cogitanda dogmata modo scholastico*, v.g. per conceptus naturæ, substantiæ, accidentis, etc; non possimus harmonizare dogmata cum philosophia modernorum qui nihil intelligunt de illis verbis *naturæ substantiæ* et *accidentis*!"

Respondeo: impossibilitas harmonizandi dogmata cum philosophia moderna non est ex eo quod dogmata sint identica cum philosophia scholastica, cui philosophiæ philosophia moderna est opposita: sed est ex eo quod philosophia moderna habet plura præsupposita in aperta contradictione cum principiis revelatis, dum e contra philosophia scholastica est plene conformis cum Revelatione.

4) "Conceptio intellectualistica dogmatum nimis evolvendo aspectum speculativum dogmatum, *nimis neglexit aspectum eius practicum.*"

Respondeo: quo magis crescit cognitio finis supernaturalis et mediorum ad illum finem, crescit etiam amor illius; est scopus meditationis. Procul absint profani qui sub prætextu praxis, minuunt momentum cognitionis et studiorum. Ruit illa vita quæ non fundetur in lectione et studio verbi Dei.

5) "Si dogmata habent valorem intellectualem, *nullum est officium voluntatis* in acceptatione personali dogmatum seu fidei. Dogmata essent sicut aliquod systema quod quis ratiocinando posset cognoscere; veritas e contra est vita et potest in nos intrare in quantum correspondet alicui nostræ exigentiæ expansionis!"

Respondeo: Ex conceptione intellectualistica dogmatis nullo modo negatur influxus voluntatis: sive in efformando iudicio credibilitatis in quantum voluntas debet removere impedimenta, malas dispositiones, et applicare mentem ad consideranda motiva credibilitatis; sive in ipso assensu fidei qui est liber sive ob obiectum sive ob motivum. Falsum est autem quod eousque se extendat officium voluntatis ut teneat locum veritatis obiectivæ, vel suppleat officium absolutæ necessarium intellectus pro directione voluntatis.

V. De ordine quo progreditur cognitio dogmatum

Si vero consideramus ordinem quo paulatim evoluta est nostra cognitio dogmatum, tunc dicendum est quod cognitio dogmatum per sæcula progreditur secundum naturam et relationes inter varia dogmata.

Veritates enim revelatæ inter se coniunguntur; et inquisitio nequit respicere consequentias alicuius veritatis si illa veritas in se ipsa non fuerit antea clare definita et exposita.

Itaque initio in luce collocatum est contra Gnosticos *dogma unitatis Dei* et eius attributorum; *deinde dogma Trinitatis* sive contra Sabellianos qui reiciebant tres Personas, sive contra Arium qui minuebat secundam, tum contra Macedonium qui supprimebat tertiam. Postea *dogma Incarnationis* contra Nestorium qui separabat duas naturas in Christo Jesu, et contra Eutychen qui eas naturas per excessum oppositum confundebat, et contra Monothelitas qui consequenter confundebant operationes illarum naturarum, licet duas naturas admitterent.

Tunc dogma gratiæ contra Pelagianos qui eam negabant, et Semipelagianos qui gratiam, ut ita dicam, alterabant vel male intelligebant. Ita inquisitio devenit ad consideranda ipsa media seu instrumenta gratiæ, Eucharistiam scilicet et alia Sacramenta in Tridentino; et postea ad ipsam Ecclesiam et ad eius caput, in Concilio Vaticano, seu ad potestatem ordinis ex qua dependent Sacramenta et iurisdictionis, ad quam pertinent potestas legislativa et doctrinalis; ad primatum et infallibilitatem.

Neque poterat inverso modo procedere inquisitio theologica: nam infallibilitas Pontificis est sicut corollarium ipsius primatus et auctoritatis super ipsa concilia; et cognitio istius superioritatis Pontificis supra concilia, supponebat cognitionem valde distinctam potestatis ordinis et potestatis iurisdictionis. Distinctio vero clara potestatis ordinis et iurisdictionis erat fructus illorum studiorum quæ facta fuerunt in medio ævo circa Sacramenta et legislationem Ecclesiasticam.

Doctrina vero septem Sacramentorum, quæ fuit elaborata tempore renascentium studiorum sub Carolo Magno, erat et ipsa corollarium doctrinæ gratiæ, quam elaboraverat S. Augustinus. Doctrina gratiæ divinæ quæ iustificat hominem non potuit plene evolvi nisi post doctrinam Incarnationis, quæ est fons gratiæ. Doctrina Incarnationis exponi potuit plene solum post doctrinam consubstantialitatis Patris et Filii in Trinitate. Et denique tandem distinctio trium Personarum in una natura potuit fundari tantum in monotheismo quod iam vetus Testamentum docuerat.

VI. De ratione construendæ alicuius theseos

1. **Hæ notæ non debent considerari seiunctæ, quia reliquæ omnes totam vim desumunt a prima quæ est dogma fidei, secundum maiorem vel minorem proximitatem quam habent ad ipsam.**

Unde aliquid in tantum est v.g. probabile in quantum, secundum me saltem, est necessarium ad explicandum cum systemate aliquod dogma; in tantum est securum, in quantum Ecclesia imponit hanc doctrinam in praxi sequendam quia melius per illam servatur aliquod dogma; in tantum est theologice certum, in quantum immediate deducitur ex aliquo dogmate. Quando ergo studes alicui thesi considera semper dogma cum quo est coniuncta.

2. **Sic patet quod ad omnem thesim plene statuendam semper tria principia cognitionis concurrunt:**

a) Revelatio Dei seu fides in quantum illa revelatio est in me recepta;

b) magisterium Ecclesiæ quod Revelationem mihi transmittit et interpretatur;

c) mea ratio quæ hæc omnia percipit analyzat atque ad synthesim reducere conatur.

Ex qua propositione deducuntur consectaria summi momenti: v.g. quod aliquis qui non habet fidem, saltem scientificam, non potest esse vere theologus, quia non admittit primas notiones in quibus fundatur tota theologia, ut sunt Revelatio, Mysterium, Trinitas, Incarnatio, Gratia, Ecclesia. Quod theologus cum illo lumine fidei, et Ecclesia, multa potest videre in documentis, quod mere historice rem considerando inveniri non possent. Unde v.g., in illis verbis: "hoc est corpus meum", si quis non habet fidem in Christum Deum, est impossibile quod videat transubstantiationem; in illis aliis "per unum hominem omnes peccaverunt", est impossibile quod videat peccatum originale sine interpretatione ex parte Ecclesiæ. Aliud consectarium: in thesi dogmatica Scriptura consideratur ut liber inspiratus.

3. **Ista tria principia seu lumina semper debent esse coniuncta.**

Quia *mea ratio* sine lumine fidei nihil potest dicere de mysteriis; et *fides* si non esset recepta in mea ratione non me obligaret. Mea ratio denique sine *interpretatione ex parte magisterii* multa non posset infallibiliter decidere. Unde Encyclica "HUMANI GENERIS" testatur (p. 569):

> "... theologia etiam positiva, quam dicunt, scientiæ dumtaxat historicæ æquari nequit. Una enim cum sacris eiusmodi fontibus Deus Ecclesiæ suæ Magisterium vivum dedit, ad ea quoque illustranda et enucleanda, quæ in fidei deposito nonnisi obscure ac velut implicite continentur."

Ergo neque potes dicere quod theologia procedat ex solo magisterio: quia magisterium nequit a Traditione separari; nam assistentia non est promissa ad novas revelationes; neque a sola ratione, quia esset merum inventum philosophicum, quod e contra damnatur a Vaticano; neque a sola Revelatione sine magisterio, nisi in paucis, quia sola ratio non est infallibilis in interpretanda fide et Deus non promisit infallibilitatem singulis, ut esset consequentia in systemate Protestantico.

4. Hic triplex labor est semper absolute necessarius...

Nam *si sistis in documentis definitionis,* reducis theologiam ad aliquem indicem dogmaticum; *si sistis in parte historica,* reducis theologiam ad aliquem indicem eruditionis; *si sistis in speculativa,* periculum est ne reducas theologiam ad aliquam logomachiam vel philosophicum inventum, quod est damnatum :

Encyclica "Humani Generis" docente (p. 568-9):

"... sacrorum fontium studio sacræ disciplinæ semper iuvenescunt; dum contra speculatio, quæ ulteriorem sacri depositi inquisitionem neglegit, ut experiundo novimus, sterilis evadit."

In parte speculativa fortasse nimis insistebant quidam scholastici, qui ideo in commentariis theologicis agunt aliquando de quæstionibus quæ nobis videntur extra locum, ita v.g. S. Thomas ipse aliquando. Ita in parte mere historica sistunt modernistæ, qui dogmata explicare conantur ut fructus alicuius evolutionis subiectivæ nostræ experientiæ religiosæ: stulti! non animadvertunt novum elementum quod ingressum est in historiam mundi, scilicet Revelatio et totus mundus supernaturalis. In solo magisterio et documentis Ecclesiæ vellet insistere nova quædam tendentia pro qua datum revelatum esset communicatio vitalis a Deo nobis facta, quæ progressive melius manifestaretur per conceptus in definitionibus Ecclesiæ; scilicet est tendentia quæ vult separare magisterium a Traditione ut conceptum utriusque falsum reddat.

Simul vides quod vox: "probo" habet vim et sensum non omnino eundem quando dico *probo ex Concilio Tridentino, probo ex Scriptura, probo ex ratione*; illa tria: *probo* sunt valde diversa. *Maxima probatio est in documento Ecclesiæ.* Si non advertis hanc diversitatem, eris intricatus in maximis difficultatibus, ut latius expono in mea synthesi *de Ecclesia.*

5. Ita patet ratio conficiendi aliquam thesim ubi primum afferuntur documenta magisterii, deinde Scriptura et Traditio, in fine ratio theologica.

Quando consideramus documenta Ecclesiæ fit theologia positiva; quando consideramus Scripturam et Traditionem regrediendo facimus quasi

historiam nostræ theseos: sed in hoc studio ex lumine fidei et ex lumine magisterii aliquid in historia possumus videre quod historicus mere profanus non perciperet; *quando damus argumenta ex ratione, facimus theologiam speculativam.*

Hic triplex labor potest fieri simul de una thesi et sæpius fit, sed in quibusdam prævalent documenta Ecclesiæ, puta in existentia characteris in tribus Sacramentis; in aliis prævalet Scriptura et Traditio, in illis quæ sunt evidenter revelata, licet non proponantur explicite ab Ecclesia; in aliis prævalet vel est fere unicus labor rationis, scilicet in thesibus mere systematicis v.g. in quæstionibus de processione per intellectum et voluntatem et in explicanda gratia efficaci.

CAPUT 2
DE IMMUTABILITATE DOGMATIS

Quod nullum dogma potest descendere ad notam inferiorem.
De formula dogmatica, de eius immutabilitate, de eius elasticitate.

Quia *dogma est fundamentum* totius ædificii theologiæ, si ipsum vacillat, corruit totum ædificium. Quare in tuto collocanda est eius immutabilitas. Sciendum est ergo quod in dogmate sicuti in omni alia veritate expressa mediante aliquo iudicio, distinguenda sunt *tria elementa.* Primo *ideæ* seu *conceptus* qui circa res exprimuntur; secundo *imagines phantastaticæ* quæ ideam comitantur, quia in omni nostra cognitione ordinaria semper consociantur labor intellectus et labor phantasiæ; tertio denique *verba* quibus illas ideas et imagines exprimimus. Immutabilitas dogmatis respicit hæc tria, sed non eodem modo.

I. De conceptibus

A. Quatuor principia fundamentalia

Hæc principia sunt bene retinenda ad intelligendum dogma.

1. Sunt conceptus primi elementares.

Nam habentur facili et obvia abstractione ex rebus creatis; et sunt seu dantur *conceptus compositi,* qui obtinentur longo labore per processum analogiæ, analysis, synthesis.

Conceptus primi elementares sunt v.g. entis, substantiæ, corporis, animæ, vitæ, spiritus, causæ et effectus, medii et finis, potentiæ et actus in suis communibus notionibus. *Conceptus compositi*: transubstantiationis, verbi procedentis ut subsistentis, relationis non accidentalis, libertatis sub prædestinatione.

Hoc principium habet summum momentum, quia Revelatio divina supponit in nobis conceptus primos elementares et consistit in hoc quod Deus sumit illos conceptus qui sunt pro illo ut characteres alphabetici. Nam conceptuum humanorum non est auctor Deus, præcise in quantum Revelator; sed illi conceptus comparantur ad Deum sicut alphabetum ad scribam, sicut vocabularium ad oratorem, sicut lingua iam fixa ad auctorem

qui ea uti vult. Dico quod supponit, quia nihil posset revelari de Deo si de ipso Deo non possemus efformare conceptum talem qui soli Deo conveniat, repræsentando eum utique per notas desumptas ex rebus creatis, scilicet ut ens primum, ut perfectum, ut sine limite, ut causam omnium rerum. Nihil posset revelari de Trinitate nisi haberemus notionem personæ ut individui subsistentis in natura intellectuali; nihil de Incarnatione nisi intelligeremus sensum verborum: Persona divina, natura humana, assumptio unius ab alio. *Revelata est ergo compositio conceptuum,* non dati sunt aut dari debuerunt conceptus primi, ut nimis patet ex Vaticano contra Traditionalistas.

Hic est opportunum analyzare quot modis possit unus conceptus esse pars alterius, scilicet vel ut pars essentialis, vel ut eius proprietas, vel ut accidens, vel ut causa, vel ut correlativum.

His modis ergo una veritas vel una idea se potest habere ad aliam:

a) relatione *hypotheseos* et eius quod ex hypothesi dependet: ita supposito quod Deus cognoscat futuribilia, quod probatur ex Scriptura, quærimus quomodo cognoscat.

b) relatione *causæ* et eius quod ex causa dimanat;

c) relatione *universalis* et eius quod universali comprehenditur;

d) relatione *compositi* et eius quo compositum coalescit;

e) relatione *potentiæ* et eius quod instar actus ex potentia prodit;

f) relatione *materiæ* et eius quod ut *forma* ad materiam accedit;

g) relatione *similis et dissimilis,* consoni et diversi;

h) relatione *finis* et eius quod ad finem obtinendum ordinatur.

Iamvero quia noster intellectus est debilis, raro contingit ut eiusmodi relationes statim nobis appareant. Opus est multiplici comparatione et sollerti deductione, ut quod primum nos fugit, iteratis deinde curis, consequamur. Scilicet non multum valemus facultate intuendi, sed nostram doctrinam potius acquirimus per deductiones, seu per studium consequentiarum.

Principio ergo debet theologus singulas quasque partes, neque maximas solum magnasque, sed etiam medias et exiguas perlustrare, rimari et accurate cognoscere. Oportet *deinde* ut hac expleta analysi, partibus animo perceptis quo fieri articulatius potest, illas mutuo componat, similes coniungat, dissimiles separet, universales a particularibus, singularibusque distinguat, illas præponat, has posthabeat, causas ab effectibus ne divellat, antecedentibus consequentia societ.

Requiritur denique ut partes iam scite exploratas in summam contrahat et membra in corpus redigat, ut opus analysi inchoatum ad suum fastigium per synthesim adducat.

2. Dantur conceptus communes pro omnibus hominibus quos supra enumeravi et dantur conceptus proprii alicuius scholæ seu systematis seu conceptus technici.

Conceptus communes sunt conceptus primi elementares et illi qui efformantur facile compositione. *Conceptus technici* sunt v.g. conceptus materiæ et formæ, concursus simultaneus et prævius, scientia media vel prædeterminatio physica. Hi conceptus technici non definiuntur sed possunt adhiberi in definitionibus ob duplicem rationem, scilicet quia melius exprimunt conceptum philosophiæ universalis, vel quia error damnandus sese inspirat ad aliquam philosophiam systematicam.

Tunc enim esset difficile illum refutare cum aliquo conceptu mere communi; unde requiritur aliquis conceptus technicus; ita Ecclesia adhibuit vocem *formæ* ad definiendam unionem animæ cum corpore, quia error *Petri Olivi* erat alicuius metaphysicæ systematicæ; sed cum termino *forma* Concilium non vult definire systema aristotelicum materiæ et formæ, sed voluit definire tantum hoc: anima non est aliquid externum materiæ sicut erat angelus Raphæl in illo corpore in quo sese ostendebat Tobiæ (= vere informantem); et quod unitur cum corpore non mediante aliqua alia anima sensitiva sed per se; et quod quando relinquit corpus, corpus remanet privatum omni vita humana (essentialiter).

3. Aliud est comprehendere, aliud est cognoscere:

a) *Comprehendere* est *perfecte adæquare* obiectum cognitum, seu perfecta adæquatio inter meam notitiam, v.g. circa sapientiam Dei, et ipsam sapientiam Dei;

b) *cognoscere* e contra est vere *attingere aliquid de obiecto,* licet non totaliter adæquetur.

Quando scilicet definitur *veritas* tanquam *adæquatio intellectus et rei,* termini adæquationis non sunt ex una parte obiectum in tota realitate sua, ex alia parte intellectus exhauriens totam realitatem obiecti, quasi nihil deberet esse in obiecto quod non esset pariter in intellectu; sed termini sunt ex una parte id quod intellectus affirmat de re, ex altera id quod in re correspondet affirmationi conforme. Sicut termini adæquationis non sunt modus intellectus in intelligendo et iudicando, et modus rei in seipsa; quia isti duo modi sunt valde diversi.

Cum enim veritas sit solum conformitas alicuius repræsentationis exsistentis in intellectu cum aliquo obiecto, exsistit solum in iudicio quod exprimitur per propositionem; quia ut intellectus aliquid dicat de reali constitutione obiecti, necesse est ut sese referat ad illud actu suo, et hoc non facit in simplici apprehensione sed *solum in iudicio.* Iudicium autem

comprehendit *duas notiones*, quarum una sumitur ut *subiectum* quod supponit seu stat pro re ad quam mens se refert, altera ut *forma* quæ subiecto attribuitur et de eo prædicatur.

Subiectum ergo supponens pro aliqua re extra intellectum semper enuntiat aliquid designatum ac distinctum, quamquam adhuc imperfecte apprehensum, velut quidam quasi potentiale quod determinandum est per prædicatum. Ita mathematicus incipit loqui de triangulo antequam sciat eius proprietates, botanicus nominat aliquam plantam priusquam eius speciem determinaverit; theologus nominat angelum etsi habeat de eo notionem valde vagam et imperfectam; nominat Deum licet sciat se infinite distare a conceptione eius essentiæ.

In subiecto ergo *et prædicato* alicuius iudicii ut habeatur veritas satis est quod obiectum sit ita designatum ut sciamus quid sit id de quo loquimur: non requiritur quod illud obiectum sit cognitum, per se cognitione propria vel comprehensum cognitione adæquata, vel sit per se manifestum. In prædicato requiritur quod conceptus prædicati sit positus sub tali abstractione, ut possit se extendere etiam ad realitatem quæ excedit nostram cognitionem quæ sit propria; ita sunt illæ rationes formales quæ non includunt in suo significato limitationem propriam vel rebus corporeis vel omnibus creaturis, ens, verum, bonum, vita, intellectus, amor. Quia habemus tales notiones, ideo possumus cognoscere etiam Deum.

Quod valet in omni cognitione dogmatis. Triplex enim potest esse *cognitio dogmatis*:

a) cognitio satis rudimentalis seu *catechetica*: aliquid modo suo cognoscit puer circa terminos: bonitas divina, providentia, et alios, sicut quod potest cognoscere de natione vel de diplomatia;

b) cognitio *practica* illius qui dogmata cognoscit per suam experientiam, v.g. misericordiam quia eius effectus in se expertus sit;

c) cognitio dialectica seu *abstracta*: est illa quam quærimus in theologia: patet quod in omnibus tribus speciebus cognitionis aliquid revera percipitur de dogmate.

4. Nostri conceptus de Deo sunt utique imperfecti, neque tamen sunt falsi aut mere negativi, aut mere symbolici; sunt enim vere obiectivi et positivi et proprii, licet per analogiam.

Sunt *imperfecti* quia quando volumus exprimere divina, æterna et immaterialia, nostri conceptus, imagines et verba semper deficiunt, quia nostri conceptus habent suum obiectum proprium clausum in spatio et tempore. Quare ob duas rationes deficimus quando volumus nobis repræsentare Deum, sive quia sumus creati, et hoc modo etiam Angeli

deficiunt; sive quia sumus sensibiles et spiritualia apprehendimus per analogiam seu similitudinem seu relationem ad extensum et ad tempus. Quia sumus creati et quidem cum sensibus, nostri conceptus sunt incompleti, analogici, fragmentarii, multiplices.

Non tamen sunt falsi, quia de Deo affirmamus *id quod (seu notas obiectivas), non modum* (v.g. *universalitatem* vel *distinctionem*); est eadem quæstio quæ redit in *de universalibus*: ita in *de Trinitate*, in conceptu naturæ et personæ, affirmo notas obiectivas non distinctionem realem inter naturam et personam.

Non sunt mere negativi, aut mere symbolici. Nam licet prædicentur de Deo solum secundum aliquam similitudinem et non univoce nobiscum, prædicantur tamen per analogiam; expressio vero aliqua symbolica habet cum realitate quam significare volumus nexum solum arbitrarium qui fingitur a nostra mente: sicut sunt litteræ et signa quæ adhibentur in algebra ($x = 1000$). Quando e contra dicimus: v.g. *pratus ridet*, expressio non est absolute arbitraria, quia pratus cum sua exuberantia, revera suggerit propter aliquam similitudinem, ideam risus. Pratus revera non ridet, sed est aliquid in prato quod est simile risui et illud volumus exprimere quando dicimus: *pratus ridet*. Dum ergo in symbolo idea symboli et idea rei nullum habent nexum naturalem, sed solum arbitrarium, *in analogia* idea nostra, v.g. causæ, et Deus, causa prima, habent verum nexum naturalem, quia causa creata ex qua abstraho ideam causæ est vere similis causæ primæ; nam causa creata in eo quod est causa est dependens a Deo, qui Deus est etiam causa prima. Cum enim causa sit id ex quo derivat effectus, datur necessario relatio inter causam et effectum, quæ relatio est dependentiæ et similitudinis. Inter Deum scilicet et creaturas datur relatio dependentiæ et similitudinis.

Hoc valet sive in ordine naturali, sive in supernaturali; cum hac differentia quod dum in ordine naturali ego statuo nexum inter meos conceptus analogos de Deo et dico: *Deus est immutabilis et liber*, qui tres conceptus sunt analogi, sed cum mea ratione video quod coniungi debent, licet nesciam quomodo; in ordine supernaturali seu in revelatione, Deus est qui mihi revelat adesse illum nexum; ego habeo conceptum unitatis et trinitatis, sed nescio utrum possint coniungi ita in Deo ut dicatur: unus Deus in Trinitate, et Deus mihi revelat. Hic nexus præcise est idea mysterii: hæc nova relatio inter naturam et personam, quod una natura possit esse in tribus personis: hunc nexum nullo modo suspicarer sine revelatione. Atque ideo conceptus mysterii est *analagus ex obscuris*. Omnis cognitio analoga est

obscura: sed quia naturalis est minus obscura, dicitur analoga clara et supernaturalis dicitur analoga ex obscuris.

B. Notiones expressæ in dogmate possunt perfici, sed numquam negari vel converti in alium sensum

Illis enim principiis præsuppositis, statuo has theses circa dogmata:

1. (a) Quod est dogma fidei non potest mutari, licet posset melius comprehendi et melius exprimi.

Sicut enim origo dogmatis est divina, eius proprietates sunt divinæ; nam immutabilis est veritas nostrorum actuum fidei et veritas quidem non solum prout est a parte rei, v.g. Trinitas in seipsa, sed etiam Trinitas prout est recepta in nostra mente: i.e. dogmata quæ nos scimus de Trinitate, relatio convenientiæ inter meam formulam Trinitatis: tres personæ in una natura et Deum ipsum nunquam mutatur. Utique *in visione videbo melius sed non aliud videbo* quam tres personas in una natura. Philosophia tantum Hegeliana vel sceptica hoc negare potest.

1. (b) Etiam quæ pervenerunt ad statum propositionis *theologicæ certæ*, vel *doctrinæ catholicæ*, substantialiter mutari nequeunt.

2. Ex eo quod nostri conceptus non exprimant adæquate veritatem revelatam, sophisma esset prætendere quod nullo modo exprimant atque ideo dogmata sint mutabilia.

Est perpetuum sophisma philosophiæ modernæ pro qua cognoscere et perfecte comprehendere essent idem (e.g. quod peccatum originale sit verum peccatum).

Ita historia dogmatum ostendit quod *in formulis sit semper aliquis sensus certus, absolutus, obiectivus*, independens a systematibus quæ utique mutari possunt. In nostris enim conceptibus est aliquid immutabile et universale ut prima principia, quæ valent etiam de mundo suprasensibili et cum illis præcise exprimimus dogmata; aliis verbis in nobis ultra physicam est capacitas faciendi metaphysicam, quæ metaphysica, ut theodicæa, nos conducit ad Deum. Poterimus utique complere nostras notiones, nostra dogmata, poterimus clarificare magis, nunquam negare debebimus. Quæ formulæ erant intelligibiles pro S. Augustino vel pro S. Thoma, erant etiam intelligibiles pro Kant, pro Hegel et pro modernis. Si Kant, Hegel, moderni nolunt intelligere, non est quia philosophia progressa sit sed potius quia regressa, vel digressa est a sua recta via cum his philosophis (Dz. 1800).

Unde Encyclica "HUMANI GENERIS" testatur (p. 571-2):

"In comperto est quanti Ecclesia humanam rationem faciat, quod pertinet ad exsistentiam unius Dei personalis certo demonstrandam, itemque ad ipsius christianæ fidei fundamenta signis divinis invicte comprobanda; parique modo ad legem, quam Creator animis hominum indidit, rite exprimendam; ac denique ad aliquam mysteriorum intelligentiam assequendam eamque fructuosissimam (cfr. Concilium Vaticanum, Dz. B. 1796). Hoc tamen munus ratio tum solum apte ac tuto absolvere poterit, cum debito modo exculta fuerit; nempe *cum fuerit sana illa philosophia imbuta, quæ veluti patrimonium iamdudum exstat* a superioribus christianis ætatibus traditum, atque adeo altioris etiam ordinis auctoritatem habet, quia ipsum Magisterium Ecclesiæ, eius principia ac præcipua asserta, a viris magni ingenii paulatim patefacta ac definita, ad ipsius divinæ "revelationis" trutinam vocavit. Quæ quidem philosophia in Ecclesia agnita ac recepta, *et verum sincerumque cognitionis humanæ valorem tuetur, et metaphysica inconcussa principia — rationis nempe sufficientis, causalitatis et finalitatis — ac demum certæ et immutabilis veritatis assecutionem* ."

Falsum est ergo quod dicunt modernistæ quod scilicet significatio terminorum cum progressu scientiæ efficiatur alia, atque ideo mutatio fiat in conceptibus et simplicibus apprehensionibus, a quibus pendet sensus assertionum et totius doctrinæ, neque tamen fiat mutatio in iudiciis in quibus formaliter residet veritas.

Nam *si mutatur sensus* verborum et alii sunt conceptus, necessario sequitur unum de duobus: *vel ita mutatus est sensus ut* iam importetur res omnino disparata ab ea quæ significabatur antea; et tunc novum iudicium cum non sit circa eandem rem, non potest poni in comparatione cum priori, vel haberi ut modificans vel reformans illud. *Vel ita mutatus est sensus ut* eadem vox semper referatur ad eadem rem, et tamen determinetur cum aliqua nota contraria illi notæ quæ prius intelligebatur, et tunc mutatio facta est a "sic" in "non" , seu ab affirmatione ad negationem, ita ut unum saltem ex duobus iudiciis debeat esse necessario falsum, quia inter contradictoria unum est necessario verum, alterum necessario falsum; inter contraria utrumque potest esse falsum, neque tamen utrumque potest esse verum. Est simplex regula logicæ minoris, quam tamen etiam theologi hodie aliquando obliviscuntur.

Quod secundum Encyclicam "Humani Generis" (p. 573) etiam nunc quidam repetere non erubescunt:

"Dictitant enim hanc nostram philosophiam perperam opinionem tueri metaphysicam absolute veram exsistere posse; dum contra asseverant res, præsertim transcendentes, non aptius exprimi posse, quam disparatis doctrinis, quæ sese mutuo compleant, quamvis sibi invicem quodammodo opponantur."

3. Nostra cognitio dogmatum potest perfici ita ut plus vel melius exprimamus circa divina mysteria: sed dogma est immutabile in conceptu divino quem exprimit mediante aliquo conceptu communi omnibus hominibus, Encyclica "HUMANI GENERIS" docente (p. 572):

"*Non enim veritas omnisque eius philosophica declaratio in dies mutari possunt,* cum potissimum agatur de principiis humanæ menti per se notis, vel de sententiis illis, quæ tum sæculorum sapientia, tum etiam divinæ "revelationis" consensus ac fulcimine innituntur. Quidquid veri mens humana, sincere quærens, invenire poterit, iam acquisitæ veritati profecto adversari nequit; siquidem Deus, summa Veritas, humanum intellectum condidit atque regit, non ut rite acquisitis cotidie nova opponat, sed ut, remotis erroribus qui forte irrepserint, verum vero superstruat eodem ordine ac compagine quibus ipsa rerum natura, ex qua verum hauritur, constituta cernitur."

Exemplum sit de Trinitate in una natura: Si tu velis invenire novam philosophiam, debes tamen semper retinere conceptum communem *personæ,* quæ dicit *duas notas* essentiales:

a) ita realiter et *totaliter distingui* ab omni alio individuo ut subiectum ad illud non ordinetur physice, non sit illius pars nec cum eo habeat quidquam sui physice commune;

b) posse esse sui conscium seu percipere hanc distinctionem sui ab omni alio, ita ut posset se illi opponere et dicere: *ego et tu; ego et alter.*

Si nova tua philosophia hoc retinet et explicat, potes loqui cum illa de Trinitate.

Quod Sacramenta habeant *formam, materiam* et imprimant *caracterem*: videntur termini pleni aliquo scholasticismo: sed si attente considerantur non implicant nisi notiones philosophicas satis simplices et communes, scilicet aliquem gestum, aliquam eius determinationem, aliquam distinctionem in illo qui Sacramenta recipit, ut fit quando milites inscribuntur in militia et distinguuntur in variis gradibus. Quæstio de quomodo et quare utique est difficilis, sed non quæstio de facto.

Ita Deus sumpsit ideas Patris et Filii, et dixit: Scias has duas ideas verificari perfectissimo modo in meipso. Nos autem in theologia per formulam dogmaticam purificamus ideam Patris et dicimus: Deus est Pater sed sine mutatione; Deus est Filius, sed sine inferioritate. Et hos conceptus ita purificatos attribuimus Trinitati. Talis est scopus formulæ dogmaticæ.

Breviter: tua nova philosophia potest conciliari cum dogmate *si retinet illa principia fundamentalia* quæ supra enumeravi, Encyclica "HUMANI GENERIS" docente (p. 572):

"In hac philosophia [scholastica] plura sane exponuntur, quibus res fidei et morum neque directe nec indirecte attinguntur, quæque propterea

Ecclesia *liberæ* peritorum disceptationi permittit; at quoad alia plura, præsertim quoad principia assertaque præcipua, quæ supra memoravimus, eadem libertas non viget."

4. Licet aliquod systema philosophicum ex quo desumuntur voces ad exprimendum dogma posset absolute demonstrari falsum, nullo modo tamen dogma mutaretur, quia *in dogmate non est definitum systema philosophicum*, sed per systema philosophicum definita est aliqua veritas revelata.

Sumamus *exemplum de anima forma corporis* (Dz. 481): supponamus quod systema philosophicum aristotelicum de materia et forma demonstretur falsum — qui casus videtur esse chimæricus, sed supponamus — veritas tamen definita manet, quia quod est definitum est præcise veritas revelata per technicam vocem desumptam ex illo systemate.

Quædam ergo possunt exprimi in functione plurium systematum, quæ systemata conveniant in admittendis principiis immutabilibus; fundus manet semper idem, licet verba mutentur. Sicut eadem melodia exprimi potest sub duabus clavibus diversis, ita theologia supponendo quod clavis de "fa" sit philosophia S. Thomæ et clavis de "sol" philosophia S. Bonaventuræ. Quædam autem systemata, ut philosophia kantiana, nullo modo possunt adhiberi ad exprimenda dogmata, quia negant suppositum.

5. Nota ergo differentiam inter veritatem mere relativam dogmatum quam defendunt relativistæ et quæ est *absurda,* et perfectionem relativam in cognitione veritatis.

Sicut enim sunt possibiles multiplices intellectus, alii aliis perfectiores, ita quoque sunt possibiles varii gradus perfectionis in cognitione veritatis. Datur cognitio comprehensiva et datur non comprehensiva; datur intuitiva, datur abstractiva; datur propria et quidditativa, datur impropria et analogica. Sed veritas nullo modo est relativa, quasi quidquid veri assequitur puer, non sit æqualis veritatis pro philosopho, licet scientia quæ posset dici magna in puero, esset parva in docto philosopho. Veritas enim est in hoc quod forma aliqua expressa per prædicatum propositionis, conveniat revera alicui subiecto, sicut affirmat intellectus. Et adæquatio ista vel est vel non est, et iudicium vel est absolute verum vel est absolute falsum. Si est compositum, resolvitur in partes, et singulæ partes erunt in se vel veræ vel falsæ. In parte autem vera debebit convenire omnis intellectus, etiam divinus, licet divinus intellectus videat quomodo intellectus inferior non habeat adæquatam penetrationem obiecti secundum totam eius intelligibilitatem.

Unde Encyclica "HUMANI GENERIS" testatur: (pag. 572)

"Etiam in huiusmodi essentialibus quæstionibus, philosophiam quidem *aptiore ac dictiore veste induere licet,* efficacioribus dictionibus communire, quibusdam scholarum adminiculis minus aptis exuere, sanis quoque quibusdam elementis progredientis humanæ lucubrationis caute locupletare; *nunquam tamen eam subvertere fas est,* vel falsis principiis contaminare, vel quasi magnum quidem, sed *obsoletum existimare monumentum.*"

II. De imaginibus, quæ ideæ comitantur

Multa quæ dicta sunt de conceptu technico valent etiam de imaginibus quæ inveniuntur in dogmate.

1. Verum est quod in omni nostra cognitione ordinaria, simul cum ideis dantur etiam imagines, sed imago a conceptu multum distinguitur.

Exemplum est de Trinitate SS.: quam nobis repræsentamus, ut fit, vel per tres homines iuvenes perfecte æquales, vel per duos homines et columbam; dum e contra conceptus Trinitatis est bene alius: illæ personæ non sunt homo sed Deus. Quæ distinctio est satis elementaris; et tamen eam non fecerunt modernistæ, qui sibi videbantur tam sapientes (Dz. 2062).

2. Momentum imaginum in Revelatione est maximum.

Nam multa dogmata nobis revelata sunt per imagines diversas: cogita imaginem petræ, vitis, ex qua deducitur necessitas gratiæ ad omnem gratiam salutarem, Corporis mystici et Sponsæ. *Scopus theologiæ est videre quinam conceptus lateat sub his imaginibus,* quod faciet sæpe comparando diversas imagines, ut omnes illas quæ pertinent ad Corpus mysticum, ut sunt imagines Sponsæ, ædificii, vitis, corporis, exercitus. Modernistæ, quia in omni cognitione nostra etiam intellectuali, est semper etiam imago aliqua phantastica, reducunt omnia ad imaginem phantasticam quæ mutari potest (Dz. 2062).

3. Propositio quæ exprimit dogma, potest mutari in expressionibus metaphoricis aut amplificativis, aut in illis quæ desumuntur ex aliquo systemate naturali.

Ita quoad expressiones metaphoricas, in Evangelio describitur *discussio* quam Christus habebit *in iudicio cum electis et reprobis,* forma vere dramatica; tu tamen potes dicere quod hæc omnia fient uno momento mere mentaliter: neque es contra Evangelium.

Iusti dicuntur adesse in cælo; tu potes dicere quod cælum empyreum, ut cogitabant veteres, vel *tertium cælum* de quo loquitur Paulus, non exsistit, sed est modus dicendi, neque es contra dogmata. Ecclesia ergo potest adhibere aliquod systema scientificum vel aliquam imaginem in definienda sua doctrina. Theologus potest exprimere conceptum definitum cum alio

systemate scientifico, vel cum alia notione analoga, non opposita, illi notioni quam adhibuit Ecclesia in definiendo. Sit quæstio de præsentia Christi in Eucharistia: proficiscendo ex uno puncto ego possum dicere cum S. Augustino: est præsentia spiritualis ad modum spiritus; alius proficiscendo ex alia mentalitate dicit: est præsens ad modum substantiæ: et idem dicimus sed cum diversa notione.

Ita de Spiritu Sancto cum diversa repræsentatione possum dicere cum latinis quod procedit a Patre et Filio, cum græcis a Patre per Filium.

De expressionibus amplificativis ipsa documenta ecclesiastica dant exempla alicuius correctionis, vel melius explicationes necessariæ circa aliquod documentum præcedens.

Ita dum Concilium Arausicanum dixerat (Dz. 195) quod nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum; dum damnata fuit (Dz. 373) proposito Abælardi "quod liberum arbitrium per se sufficiat ad aliquod bonum", Pius V tamen damnavit contra Baium, quod (Dz. 1027) "liberum arbitrium non nisi ad peccandum valet". (cfr. Dz. 1028; 1037).

Ex quibus patet quod eædem propositiones non habent eundem sensum, in contextu diverso, et quod ipsum magisterium habet ius interpretandi aliquod documentum anterius atque considerandi aliquem aspectum ab illo documento fortasse neglectum.

Differentiæ vero *accidentales* quæ habentur in cognitione Patrum et Theologorum ita explicantur:

a) *ob differentiam ingenii personalis,* aut disciplinæ et consuetudinis anterioris quam illi Patres vel theologi attulerint in inquisitionem theologicam. Ita expositio Tertulliani est magis conformis suæ culturæ iuridicæ; Clemens Alexandrinus imitatur Iudæos alexandrinos in frequenti usu allegoriarum. Apud S. Thomam et alios scholasticos non invenitur ille calor qui invenitur in S. Augustino, sed invenitur crisis magis rigorosa et maior præcisio terminorum.

b) *Ex varietate ambientis* in quo vivebant varii auctores. Ita in periodo patristica patet characteristica differentia inter romanum ingenium Ambrosii et Cypriani qui potius respiciebant quæstiones practicas, et ingenium græcum Origenis vel Gregorii Nisseni qui præferebant quæstiones speculativas.

c) *Ex influxu variorum systematum* philosophicorum ex quibus auctores desumebant suas formulas.

4. Quando aliquis theologus vel aufert metaphoram vel tollit amplificationem, vel exprimit conceptum definitum mediante aliqua alia notione technica vel alia imagine, nihil facit contra magisterium Ecclesiæ dummodo sua notio nova conciliari queat cum veritate definita.

5. Aliqua nova notio potest conciliari cum dogmate si admittit et explicat præsupposita philosophiæ realisticæ, scilicet conceptus obiectivos universales transcendentes.

III. De verbis seu de formula dogmatica

Tertium elementum considerandum in dogmate sunt *verba* quibus exprimimus sive conceptus elementares et technicos sive imagines. Ex ipsis constat formula dogmatica. Et si volumus facere aliquam distinctionem inter dogma et formulam dogmaticam, tunc dicendum esset quod *formula dogmatica* est dogma expressum potius per aliquem conceptum elaboratum, per imaginem et vocem magis technicam.

1. Voco ergo formulam dogmaticam verba quæ adhibentur ad exprimendum dogma, ad magis definiendum vel determinandum ipsum.

2. Triplex autem est nexus quo obiecta fidei cum vocibus ea exprimentibus cohærent.

Nam :

a) Voces adhibentur ut obiecta fidei percipiantur, ut dicit S. Paulus: "fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi." Ideo Christus non scripsit sed prædicavit et misit Apostolos non ad scribendum sed ad prædicandum. *Vocabula igitur sunt instrumenta electa a Deo,* ut his fides propagetur et mentibus hominum inseratur.

b) vocabula inserviunt ad fidem exterius profitendam quando necesse sit.

c) *Vocabula inserviunt ad bene cogitandam et pertractandam materiam fidei.* Nam licet absolute possimus cogitare etiam sine verbis imaginitivis visis vel auditis interne, ut explicatur in tractatu de inspiratione; tamen fere numquam contingit ut sive concreta et multiplicia, sive spiritualia a nobis cogitentur nullo colligata vocabulo.

3. Quo melius fiat talis pertractatio, retinendum est quod una eademque res potest exprimi terminis abstractis vel terminis concretis et quod termini concreti sunt minus determinati, dum termini abstracti sunt magis determinati, præcisi, seu philosophici.

Possum dicere: Tu es Petrus et super hanc petram ædificata est Ecclesia Dei; et possum dicere; Tu habes potestatem iurisdictionis supra universam Ecclesiam.

Termini concreti sunt minus determinati quia rem exprimunt in suo complexu; termini abstracti sunt magis præcisi quia exprimunt tantum unam formalitatem ipsius rei: tu es caput Ecclesiæ: tu habes iurisdictionem, infallibilitatem et summam potestatem ordinis.

4. **Voco *elasticitatem formularum* capacitatem alicuius formulæ eodem momento recipiendi plures sensus.**

Quare aliqua formula forte mutanda est præcise quia nequit recipere alium sensum magis exactum, licet non mutanda sit in eo quod dicit positive. Veritates autem philosophicæ adhibentur non ad probanda dogmata quæ unice fundantur in auctoritate divina, sed solum ad refutandas obiectiones adversariorum, vel ad demonstrandam summam convenientiam revelationis divinæ.

5. Elasticitas alicuius formulæ dependet ab imperfectione terminorum.

Pendet scilicet ex relatione magis vel minus præcisa terminorum ad conceptus, quare *elasticitas est minor quo magis lexicon ecclesiasticum perficitur.*

Ita hæc formula: *unus de Trinitate passus est*, potest esse suspecta de monophysismo et potest esse etiam bona; dicere monarchiam ad exprimendum dogma unitatis Dei est bonum et dictum est etiam a Dionysio Papa (Dz. 48); sed ex eo quod non exprimit aliquid, scilicet Trinitatem, potest sumi etiam sensu falso, ut factum est a multis hæreticis, quasi in Deo sit vera monarchia scilicet aliqua persona quæ sit maior aliis.

6. Sicut nos prius affirmamus aliquid grosso modo, deinde quando exsurgunt difficultates venimus ad præcisiones secundarias, ita formulæ antiquæ erant magis concretæ et potius terebantur de aliquo facto concreto.

Progressu temporis formulæ dogmaticæ factæ sunt magis determinatæ et allatæ potius circa quæstiones "quomodo et quare".

(Cfr. "*Credo in Deum Patrem*" in Dz. 6 ubi formulæ sunt magis elasticæ, v.g. numquam dicitur: *unus Deus* vel *Trinitas*; *Credo Constantinopolitanus* est iam magis philosophicum et minus elasticum: *unum Deum... consubstantialem*. Dz. 54).

Primo loquebantur de uno eodemque Christo... deinde de unione hypostatica.

Termini isti: persona, natura, anima, sacramentum, gratia, veteribus illis Patribus sufficiebant neque faciebant analysim horum terminorum, ut nos magis exacte hodie facimus in nostris tractatibus. *Concilium Arausicanum* est totum de Gratia, neque quærit utrum Gratia sit substantia vel accidens sed adhibet semper terminos concretos et dicit: *infusio, operatio Spiritus Sanctis, illuminatio, donum, auxilium, misericordia præveniens* (Dz. 174); et omnes illæ definitiones sunt veræ, sed *quia multum elasticæ*, non impedierunt hæresim Protestanticam, baianam et iansenisticam. Nostra

doctrina de Gratia post Concilium Tridentinum est magis præcisa atque ideo minus elastica, seu minus se præstat ad recipiendum alium sensum.

Scriptura dicit: unus Deus *ex quo* omnia, scilicet *ex quo* etiam Filius; sed *Ecclesia* ut distinguat inter processionem Filii et processionem creaturarum, processionem Filii determinavit dicendo per vocem abstractam: *ex Dei substantia*.

Ita explicatur quomodo Denzinger et ordo nostrorum tractatuum continentur in Scriptura. Licet enim in Scriptura non inveniantur nostræ formulæ abstractæ neve ordo nostrorum manualium scholasticorum, inveniuntur tamen in ea affirmationes categoricæ respicientes Deum eiusque attributa atque opera, et inveniuntur narrationes factorum; in quibus omnibus fundantur nostræ formulæ et tractatus. Ostendo discrimen inter abstractum et concretum etiam per exemplum iurisdictionis (Dz. 1822).

7. Potest una eademque doctrina diversis terminis vel conceptibus exprimi, quin ex parte obiecti aliquid novi affirmetur.

Ita quando nos nostris formulis dicimus dogma exsistentiæ Dei, divinitatis Christi vel Trinitatis, omnino idem dicimus ac quod continetur in Scriptura, sed alio modo.

8. Nam quia Revelatio tradita est etiam sub forma metaphorarum et imaginum et quidem linguæ, nationis et culturæ alienæ, naturale est quod Ecclesia exprimere conetur doctrinam fidei mediantibus conceptibus melius intelligibilibus pro toto mundo; est enim inclinatio naturalis hominis ut in qualibet disciplina sibi creet terminos præcisos et exactos.

9. Ita termini et conceptus quibus S. Scriptura vel Traditio utuntur ad exprimendas res et doctrinas divinas, quasi vertuntur vel traducuntur in terminos et conceptus scientificos.

V.g. comparantur inter se termini: *Filius Dei, Verbum, identitas Patris et Filii*, quæ omnia patent ex Scriptura et invenitur formula quæ in Scripturis non continetur nisi implicite: *Filius est consubstantialis Patri*. Est enim omnino idem ac dicere: *ego et Pater unum sumus*, id est unius eiusdemque substantiæ; vox est nova, sed conceptus nullo modo.

Nomen *personæ* non invenitur dictum de Deo in Scripturis; id tamen quod nomen significat invenitur multipliciter in Scripturis, sed invenitur implicite; et sicut possum vertere Scripturas in aliam linguam, ita manendo in eadem lingua possum vertere in alium formam, ex qua versione fit magnus progressus.

Circa Spiritum Sanctum per illam formulam: *qui ex Patre Filioque procedit*, ostendo quomodo inveniatur in Scripturis. Ita explicatur Dz. 1790, ubi dicitur quod assequimur aliquam intelligentiam mysteriorum.

10. Formula dogmatica est infallibilis et immutabilis in eo quod affirmat vel negat, sed tamen sæpius potest perfici quo plus et melius exprimat divina mysteria.

11. Ita una eademque veritas revelata magis determinatur successu temporis sub diversis respectibus.

Nam formula dogmatica, quia communiter fit per terminos abstractos, tantum sub quodam respectu exprimit rem revelatam, neque potest exhaurire totam veritatem.

Ideo Concilium Vaticanum loquendo de Primatu R. Pontificis, plures formulas adhibet et dicit: *Primatum iurisdictionis, plenam et supremam potestatem, totam plenitudinem supremæ potestatis, potestatem ordinarium et immediatum* (D. 1831). Ita "Consubstantialis" non exprimit totam relationem Filii ad Patrem, nec "unio hypostatica" totam veritatem Incarnationis.

12. Eiusmodi determinationes sunt necessariæ ad hæreses iam exortas refellendas et ad impediendum ne aliæ hæreses nascantur.

Verum est enim quod veritates fidei nobis sunt sufficienter propositæ in doctrina Christi; sed quia homines perversi talem doctrinam corrumpere tentant, ideo necessaria est explicatio fidei per novas formulas contra insurgentes errores. Et quia hæreses sese reproducunt, variis formis differentibus, et induunt varios colores, ideo Ecclesia assumere debet varias positiones et contra novitates errorum debet opponere formulas novas seu novam terminologiam.

(a) Ita ne Trinitatem rem unam esse putaremus, ut Sabelius putabat, triplici nomine appellatam, facta est distinctio inter *naturam* et *personam* ut unumquemque eorum qui nominantur in Trinitate, Deum in propria persona esse credamus.

(b) Per formulam *consubstantialitatis* refutata est doctrina ariana, quia hac formula tam præcisa inventa, nemo poterat se illudere esse catholicum et tamen posse reputare Filium minorem Patre.

(c) Per formulam *unionis hypostaticæ* confutati sunt errores circa modum Incarnationis.

(d) Per formulam *iurisdictionis* in Concilio Vaticano confutati sunt errores de Primatu Romani Pontificis.

Necessitas ergo disputandi cum hæreticis coegit ad invenienda nova nomina significantia antiquam fidem, atque ideo refutatio facta est non

solum negative dicendo: *tu hæc retinere non potes*, sed etiam positive dicendo: *tu debes admittere quod Filius sit eiusdem numerice naturæ ac Pater*. Quia vero Revelatio tradita est etiam in metaphoris et tropis, clarum est quod Ecclesia eam magis clare et perspicue proponendo, præveniat novos errores: dicere v.g.: *per unum hominem peccatum intravit in mundum*, non est tam clarum ac dicere: *omnes homines per generationem contrahunt*, quia posset intelligi intrasse peccatum per imitationem.

13. Sed quia formula dogmatica positiva ex occasione qua adhibita est dicit generatim tantum unum aspectum, esset gravis fallacia si verteretur illa formula in aliam exclusivam.

Quod fere semper fecerunt hæretici. Scriptura dicit: *iustificamur ex fide*; Lutherus dicit: *ex sola fide*. Scriptura dicit: *illustramur interne a Spiritu Sancto*; Protestantes dicunt: *ergo non datur magisterium externum infallibile*.

14. Mediantibus novis formulis dogmaticis, *datur verus progressus* seu aliqua evolutio in cognitione nostra dogmatum, sed talis evolutio non respicit ipsum dogma, quasi dogma substantialiter mutetur, recipiendo sensum totaliter diversum a sensu revelato.

De progressu in cognitione fidei patet si consideramus quod, verbi gratia, *formula consubstantialitatis* fuit conditio et ratio distinctionis Divinarum Personarum esc. originem et relationem; non datur autem evolutio substantialis dogmatum, quia novæ definitiones implicant tantum novas expressiones seu declarationes magis explicitas alicuius doctrinæ solum implicite prius propositæ, ut in dogmate Immaculatæ Conceptionis; Spiritus Sanctus enim promissus est Ecclesiæ non ut novas doctrinas patefaceret, sed ut doctrinam traditam per Apostolos sancte custodiret et fideliter exponeret.

Evolutio substantialis esset v.g. si affirmaretur quod personalitas constituatur per conscientiam, et non per formalem rationem subsistentis distincti, quæ quidem ratio antecedit natura sua omnem operationem atque ideo etiam omnem conscientiam sui quæ est operatio. Talis esset evolutio hæretica, quia ponendo in Christo duas naturas atque ideo duas conscientias, deberet ponere et duas personas quod est contra fidem.

15. Ex doctrina præcedenti de conceptibus, de imaginibus, de vocibus, *patet quo sensu dogmata sint veritates e cælo delapsæ*, seu ex auctoritate Dei revelantis quantum ad illum novum nexum qui adfirmatur inter subiectum et prædicatum.

Nam in aliquo iudicio possum distinguere hæc tria: a) verba; b) varios conceptus seorsum acceptos, qui conceptus possunt esse simplices et incomplexi, vel etiam complexi resultantes ex simplicibus; c) nexum denique quo componuntur conceptus in iudicio.

Verba ergo nostra non procedunt a Revelatione quia:

a) nemo dicit quod nova lingua desuper nobis advenerit simul cum Revelatione Dei;

b) sed *neque conceptus* procedunt ex Revelatione, si fiat sermo de conceptibus primis et elementaribus; quia hæ notiones, si apud nos non fuissent, debuissent venire in nos, ad hoc ut nobis intelligibilis fieret sermo Revelationis, aut per infusionem miraculosam aut per hoc quod nova obiecta repræsentata forent nostris sensibus et nostræ intuitioni. Neutrum autem ex his præstat nobis Revelatio: nam non præstat novas species intelligibiles, non affert nobis visiones neque elevat nos ad novum illum modum intelligendi qui erit in visione beatifica. Revelatio ergo præsupponit in nobis conceptus primos et elementares; licet de complexis conceptibus non sit eadem omnino ratio, quia nihil vetat quominus revelatio attulerit quosdam novos quos ratio nostra aliter non habuisset, sicut patet de his nominibus: *consubstantialis, Deipara, Deus-homo, transubstantiatio*: in his varia elementa singula erant communiter nota apud nos, complexio autem ipsa non ita.

c) In dogmate porro *semper procedunt a Deo veritates* quæ ex variis conceptibus formantur et verbis atque varia structura sermonis exprimuntur; seu ex Deo procedit nexus affirmandus inter subiectum et prædicatum propositionis. Ex his patet hæresis contenta in his propositionibus Decreti "Lamentabili": 31, 36, 40, 54.

IV. De aliqua possibili obscuratione; seu de stadio discussionis circa implicite revelata

1. Licet veritas revelata mutari non possit, potest tamen accidere quod aliqua veritas revelata exstiterit quandoque magis explicite in doctrina Ecclesiæ et postea retenta sit potius implicite.

(Non loquor de dogmate, seu de doctrina revelata, et iam proposita ad credendum).

Ita de Apostolis dicendum videtur quod si interrogarentur v.g. de Immaculata Conceptione, respondere debuissent se scire; nam vel cognoverunt explicite, vel ut videtur potuissent infallibiliter ex his quæ prædicabant deducere. Et postea tamen hæc veritas aliquomodo obscurata est.

Aliqua obscuratio ergo admittenda est, sed non "generalis obscuratio" (Dz. 1501). Nam hoc fieri nequit in veritatibus necessariis et essentialibus, v.g. in divinitate Christi. Quæ autem non sunt nunc dogmata, sed postea

erunt, saltem implicite in doctrina Ecclesiæ exstare debent: *habitualiter* saltem vel in Scriptura vel in documentis Traditionis, explicite *vel implicite* exstare oportet, ut patet de confessione et de numero *septenario* Sacramentorum. Causæ vero talis obscurationis potuerunt esse *multiplices*.

2. Non potest accidere in ipsa Ecclesia obscuratio fidei hoc sensu quod fides Ecclesiæ et dogmata ab ipsa definita et ad credendum proposita, veritati revelatæ sint contraria, ita ut veritas fidei corrumpatur.

Ita Ecclesia tota *nunquam* potuit docere quod B. M. V. non esset immaculata.

Hic ergo oritur celebris quæstio in explicatione revelatorum. Multi enim illorum quos appellavimus auctores et testes fidei nostræ scripserunt de pluribus dogmatibus præsertim de Trinitate, multum diversa a nobis: quare in tractatu de Trinitate ponitur thesis ad illos excusandos.

Ita etiam post schisma occidentis multi etiam catholici docebant concilium esse supra Papam, quod nunc est hæreticum. Supra locutus sum de quibusdam sententiis communibus quæ nunc sunt falsæ. Agitur de explicando hoc facto, quomodo sit possibile in Ecclesia infallibili. Respondeo per propositionem:

3. *Errores theologici* qui inveniuntur in historia ecclesiastica respiciunt:

a) vel *consectaria* alicuius dogmatis,

b) vel *modum loquendi* circa illud,

c) vel *substantiam alicuius veritatis quæ adhuc non erat dogma explicite propositum*,

d) *neque sunt universales in tota Ecclesia*. Ita veteres apologetæ loquebantur minus recte de Filio Dei, quando dogma consubstantialitatis adhuc non erat propositum: et loquebantur minus recte non solum circa consectaria, sed circa ipsam substantiam dogmatis. Ita etiam doctores quidam de Immaculata.

4. Sed etiam qui erraverunt admittebant de facto doctrinam postmodum definitam, admittendo illa quæ tunc erant explicita et in quibus implicite continebatur doctrina postea definita.

Ita apologetæ illi: cum admitterent divinitatem Filii, implicite admittebant consubstantialitatem; quia duæ Personæ non possunt esse utraque Deus nisi habeant unam numerice naturam. Ita S. Thomas admittebat implicite Immaculatam Conceptionem in eo quod admittebat explicite Mariam esse dignam matrem Dei; nam in hoc conceptu continetur quod talis Mater sit Immaculata.

Breviter ergo:

a) *possunt obscurari* etiam veritates revelatæ, sed *quæ adhuc non sunt dogmata*, seu propositæ ab Ecclesia;

b) talis obscuratio *non potest esse universalis* in tota Ecclesia ita ut in tota Ecclesia doceatur doctrina contraria.

CAPUT 3
QUOMODO ALIQUA PROPOSITIO POSSIT EX INFIMA NOTA ASCENDERE AD DOGMA, SEU DE NOSTRO SUBIECTIVO PROGRESSU IN COGNITIONE DOGMATUM

I. DEFINITUR QUID SIT TRADITIO

1. Aliqua veritas quæ nunc est solum *communis* vel *theologice certa*, fortasse cras erit *dogma fidei*.

Etiam Encyclica "HUMANI GENERIS" hoc tradit:

> "... historia docet, plura quæ *prius* liberæ disceptationi subiecta fuerint, *postea* nullam iam disceptationem pati posse." (p. 568)

Nam non est necesse circa aliquam veritatem revelatam quod statim ac cognita est, sit cognita etiam ut revelata. Potuit enim in initio veritas apparere ut *probabilis*, deinde ut *secura*, deinde facta est *communis*, postea *communis et certa*, postea *theologice certa*; successive collocatus est in luce aspectus Revelationis et in fine fortasse definita est. In his gradibus successivis etiam argumenta ad probandam veritatem semper clariora et fortiora apparuerunt. (Aliis verbis: aliqua veritas quæ nunc est solum *communis* vel *theologice certa*, fortasse cras erit dogma fidei). Et ita explicatur quomodo aliqua propositio ex nota inferiori decursu temporis, possit ascendere ad notam superiorem et percurrere totam scalam.

2. Ut definiatur aliqua propositio quæ adhuc non sit definita, debet de ipsa constare, factum eius Revelationis.

3. Factum autem Revelationis alicuius propositionis, quia est res contingens et præterita (nam Revelatio est clausa), debet constare aliquo modo ex testimonio historico, scripto vel oraliter tradito.

Potuisset quidem Deus transmittere omnia per testimonia tantum scripta, sed tunc ad conservandam unitatem in fide debuisset dare singulis donum infallibilitatis in interpretandis testimoniis eiusmodi. Quare Deus

elegit potius transmissionem oralem veritatum revelatarum, statuendo magisterium authenticum atque infallibile in Ecclesia sua.

Traditio ergo est modus oralis transmittendi Verbum divinum obiectivum.

Aliqua traditio potest esse factum mere humanum, alia de qua loquimur est factum divinum, scilicet volitum et productum ab ipso Deo modo supernaturali per charisma adsistentiæ.

4. Traditio vero, vi nominis, est idem ac testimonium probatum a teste.

a) Probatio enim quæ fiat per testes ita est apta ad fidem faciendam, ut nullo modo repudiari possit. (Cfr. Thesim de testimonio historico). Probatio per testes in ipsa quoque religione admitti debet ad fidem faciendam.

b) Probatione per testes ante christianam œconomiam usus est Deus, ut genus humanum salutari religione informaret. Postea in plenitudine temporis misit Deus Pater Unigenitum suum, tamquam testem, qui partes testis fidelis cumulatissime explevit. Christus autem, qui ut testis enarravit quæ vidit in sinu Patris, voluit et effecit, ut supernaturalis religio probaretur et propagaretur per testes. Quare etiam Apostoli munus et partes testium expleverunt. (In memoriam revoca, quam sæpe redeat iste conceptus in Novo Testamento: "eritis mihi *testes* usque ad ultimum terræ.")

c) Quare ratio propagandæ et probandæ fidei per testes et est perpetua in Novo Testamento et est determinata, seu circumscripta ad quandam seriem testium, quibus ministerium commissum est propagandæ et probandæ fidei.

5. Significatione strictiori et specifica, nomine Traditionis significatur modus transmissionis et conservationis diversus a Sacra Scriptura ...

... quæ significatio nominis semper præsumitur, nisi altera ratio in singularibus testibus demonstretur, licet Traditio aliquando latiori sensu dicatur a Patribus, comprehendendo etiam S. Scripturam.

6. Quando agitur de divina Traditione et eius auctoritate, quæstio non est solum vel potissimum de veritatibus traditis, sed multo magis de modo et organo Traditionis.

Huic enim alteri quæstioni prima de veritatibus traditis subordinatur, et hac soluta etiam illa de veritatibus traditis soluta censenda est.

7. Quod detur talis Traditio probatur ex ipsa Scriptura.

Neque tamen ullus est circulus, quia tunc Scriptura non consideratur ut inspirata sed solum ut liber continens Revelationem divinam, quod etiam mere historice, et plene scientifice, probatur.

8. Licet, quando audimus terminum *Traditionis*, statim cogitemus quasi exclusive aliquid præteritum, *Traditio* tamen in suo sensu pleno continet

etiam aliquid præsens, scilicet ipsam præsentem et perennem transmissionem veritatis olim a Deo revelatæ.

Traditio ergo non complectitur solum ætatem patristicam, ut quidam falso putant, sed datur etiam Traditio hodierna seu contemporanea: semper enim viget magisterium Ecclesiæ custodis et magistræ Revelationis.

Etiam consensus theologorum unanimis et firmus circa veritatem fidei et morum ut revelatam est argumentum certum quod illa veritas sit revelata; et eorum auctoritas vero quodam sensu æquiparanda est cum auctoritate Patrum. Consensus enim Scriptorum singulis ætatibus cum magisterio participat infallibilitatem et fit certum criterium Traditionis divinæ pro ætatibus futuris, sicut pro nobis est criterium consensus Patrum.

Transmissio præsens potest esse clarior, ut patet, quam transmissio quæ fiebat sæculis præteritis.

9. In idoneis enim monumentis ostenditur quod Ecclesia ævi apostolici et sequentium ætatum, usque ad hos dies semper et ubique nititur hoc principio:

> **Successores esse Apostolorum, qui serie continua et mutua communione cohærentes per charisma veritatis custodiant depositum fidei, ut nihil detrahi, nihil addi possit dogmati cœlesti.**

10. Quæ series ab illis constituitur, qui in christianis monumentis vocantur Apostoli, episcopi, præpositi, pastores et doctores, quibus scilicet competit magisterium authenticum et infallibile.

(Nunc intelligis quid dicamus quando dicimus *Ecclesiam apostolicam.*)

11. Organum igitur et modus propagationis et conservationis doctrinæ revelatæ (a Christo et a Spiritu Sancto) est magisterium authenticum sub adsistentia Spiritus Sancti, cui magisterio Scripturæ et alia monumenta Traditionis sunt instrumentum doctrinæ.

Falsum est ergo, quod Scripturæ sint unicum medium conservationis doctrinæ et multo minus sint fons religionis Christianæ, ut singuli inde independenter ab authentico visibili magisterio ex iis sibi hauriant quid velint.

12. Traditio ergo complexive spectata constituitur quatuor elementis:

a) Spiritu Sancto invisibili;

b) magisterio authentico semper visibili et præsenti;

c) instrumentis ex quibus magisterium haurit veritates tradendas;

d) ipsis veritatibus traditis.

Analyzando hæc elementa explicatur quomodo conciliari possint hæc facta: Revelatio est clausa, et tamen nunc cognoscitur ut revelatum aliquid de quo antea dubitabatur an esset revelatum.

II. De singulis elementis Traditionis[6]

(A) De adsistentia Spiritus Sancti

1. *Elementum invisibile* quod est *adsistentia Spiritus Sancti* est elementum informans elementum visibile; dum ergo *elementum visibile seu humanum* est distinctum ab invisibili, cum ipso tamen est necessario connexum.

Quando ergo datur nova definitio aliqua, occasio, inquisitio, præparatio definitionis est *ex labore humano.* Sed hoc elementum humanum est semper sub adsistentia Spiritus Sancti; unde definitio est infallibilis, quin tamen habeatur nova Revelatio.

2. Mediante hac adsistentia magisterium Ecclesiæ redditur vivum commentarium veri sensus Revelationis divinæ.

Quare Papa et Episcopi seu Traditio, seu testes se habent ad Sacram Scripturam et monumenta Traditionis, sicut ad aliquem textum legislatoris se habet authenticus commentarius. Nam infallibiles fidei custodes, quales sunt Papa et Episcopi cum eo coniuncti, sunt simul infallibiles doctores fidei, ut explicent quæ sunt implicita in obiectiva revelatione Scripturæ et Traditionis, ut ambigua definiant, ut minus diserta proponant instantiori prædicatione (v.g. hodie quoad quæstionem socialem). In qua functione, licet suus sit locus elemento humano inquisitionis et scientiæ, infallibilitas tamen explicationis et definitionis repetenda est a promissa adsistentia et directione Spiritus Sancti. In explicatione dogmatum ergo hoc est munus Ecclesiæ docentis, non iam, ut dicat quænam inter plures diversas rationes intelligendi dogmatis pro quolibet scientiæ stadio sit melior ceteris, sed quænam sit vera.

3. *Eiusmodi adsistentia Spiritus Sancti* pulchre a documentis Ecclesiæ describitur ut *suggestio et edoctio,* quia Spiritus Sanctus suggerit magisterio et edocet circa factum Revelationis relate ad singulas propositiones de quibus dubium aliquando oriatur.

Ita de adsistentia divina et charismate veritatis Ecclesiæ concesso, splendide loquitur Tridentina Synodus.

Ex. gr. in *Proëmio ad Decretum de iustificatione*:

[6] Cf. articulos P. Filograssi ex quibus fere tota desumitur hæc doctrina.

"Synodus ... exponere intendit omnibus Christi fidelibus veram sanamque doctrinam ipsius iustificationis, quam Sol iustitiæ Christus Jesus, fidei nostræ auctor et consummator, docuit, Apostoli tradiderunt, et Catholica Ecclesia, Spiritu Sancto *suggerente*, perpetuo retinuit." (Dz. 792 a).

In Prologo ad *Decretum de SSma. Eucharistia*:

"Synodus, sanam et sinceram illam de venerabili hoc et divino Eucharistiæ sacramento, doctrinam tradens, quam semper catholica Ecclesia ab ipso Jesu Christo Domino nostro et eius Apostolis erudita, atque a Spiritu Sancto illi omnem veritatem in dies *suggerente*, edocta retinuit et ad finem usque sæculi conservabit ... ." (Dz. 873 a)

In Prologo ad *Decretum de Missæ sacrificio*: Synodus docet "Spiritus Sancti *illustratione edocta*". (Dz. 937 a)

Quamobrem Spiritus Sanctus etiam nunc efficit illum consensum hodiernum *suggerendo*, et *docendo* (cfr. cum gratia illustrationis).

Bulla autem "MUNIFICENTISSIMUS" hæc docet de christifidelibus qui

"... *divina collustrati* gratia pietateque erga eam permoti, quæ Dei Parens est suavissimaque Mater nostra, clariore cotidie luce mirabilem illam privilegiorum concordiam ac cohærentiam contemplati sunt, quæ [privilegia] Providentissimus Deus almæ huic Redemptoris nostri sociæ impertiit, et quæ talem attigere celsissimum verticem, qualem præter Ipsam nemo a Deo creatus, excepta humana Jesu Christi natura, assecutus est umquam." (p. 758)

4. *Mediante tali suggestione et doctrina* quæ exercetur per gratias actuales, dona Spiritus Sancti et virtutes infusas, producitur et conservatur a Spiritu Sancto in Ecclesia id quod dicitur *conscientia fidei, Catholicus intellectus, ecclesiasticus sensus, fides scripta in cordibus, sapientia non scripta* seu *consensus ecclesiæ*.

Iste consensus fidelium est res valde diversa ab illo cæco religionis sensu quem Modernistæ sibi effingebant et quem Ecclesia damnavit. Nam ille cæcus sensus religionis, non incipit a vera fide, non subiicitur auctoritati Ecclesiæ; consensus fidelium e contra fundatur semper in deposito obiectivo fidei; in habitibus supernaturalibus fidei et caritatis et in donis Spiritus Sancti per quæ fidelis ad vitam divinam elevatus, connaturalitate quadam cum veritatibus revelatis gaudet atque aptus redditur ad eas percipiendas quasi instinctive priusquam rationes demonstrativæ plene cognoscantur; ad reiciendas rationes contrarias etc; ad efficiendum ut doctrina a tota societate christiana acceptetur. In quo iuvatur fidelis exemplo et conversatione aliorum, sacerdotum etiam et Pastorum. Tota evolutio locum habet sub oculis Ecclesiæ, multis modis vigilantis et intervenientis.

5. Ex eo quod assistentia divina est continua consequitur:

a) Non omnia debuerunt proponi in primæva Revelatione eodem modo explicite.

b) Unde potuerunt circa quasdam veritates licet revelatas, adesse decursu temporis quædam discordantiæ; scilicet ex discordantiis non potes deducere: *ergo veritas non est revelata.*

c) Unde si circa aliquid prius fuerint quædam dubia, et deinde factus sit consensus, ut in rem revelatam, ille consensus postea factus dicit rem esse revelatam.

d) Opinio aliqua mere privata non potest obtinere consensum universalem in semetipsam ut in rem revelatam.

e) Quod est dogma nunc erit semper dogma eodem modo.

f) Dogmata fundamentalia debuerunt esse explicita jam ab initio.

6. Legitimus ergo consensus in doctrina fidei, quovis tempore exsistat, est authenticum testimonium divinæ Traditionis.

Quia enim perpetua conservatio unitatis et consensionis juxta promissiones Christi est et demonstratur esse effectus tutelæ Christi manentis cum successoribus Apostolorum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, et Spiritus veritatis manentis cum ipsis in æternum, ideo ex illo consensu etiam hodierno oritur *certitudo theologica, supernaturalis et absoluta*. Scilicet ille consensus potest considerari: a) historice et philosophice ut fit etiam in *De Notis Ecclesiæ* (immo non est alia res quam unitas fidei); b) et prout verificat verba Christi: et hoc sensu dat certitudinem absolutam et supernaturalem.

7. Seu: quando aliqua doctrina est antiqua:

a) neque potuit aliunde cognosci nisi ex Revelatione, certum est revelatam fuisse;

b) non tamen omne quod est antiquum necessario est etiam universale in extensione et consensu. Ita veritas Immaculatæ est antiqua quia revelata, et tamen non semper et ab omnibus fuit admissa.

c) Quod autem est universale in extensione et consensu, licet solum hodie, necessario est antiquum. Quod si non potuit nisi ex Revelatione cognosci, est certe revelatum ut dicendum est de Assumptione.

Hi sunt canones quibus traditiones divinæ distinguuntur ab humanis. Regula tamen potior et necessaria ad talem distinctionem faciendam ne unitas fidei periclitetur, est magisterium infallibile Ecclesiæ docentis.

8. Non repugnat quod aliqua veritas constet certo ut revelata, neque tamen constet certo ubinam sit revelata.

Ille consensus enim, ut factum est circa Assumptionem, clare ostendit quod res sit revelata; sed si quærimus ubinam sit revelata, fortasse theologi

catholici non proponunt unanimes et apodictice eadem argumenta. Ita de charactere sacramentali certum est ex consensu et ex definitione Ecclesiæ quod sit dogma; sed si quærimus argumentum apodicticum in Scriptura vel in Traditione Patrum non habemus. Ergo argumentum apodicticum est iste consensus hodiernus.

9. Si quid est nunc in Ecclesia probatum ut certum ex communi consensu fidelium, illud necessario derivatum est ex Traditione apostolica.

Quæ traditio non necessario debet esse manifesta inde ab Apostolis sed quasi latenter potuit fluere, sicut fluvius non semper statim aperte erumpit ex fonte, sed aliquando per vias subterraneas procedit donec magno impetu aquarum in apertum venit.

10. Magisterium Ecclesiæ quando dat aliquam definitionem potest fundari in documentis præsentis consensus etiam si nullum documentum explicitum sit apud Patres vel posterius per sæcula circa veritatem definitam.

Ita dogma de numero septenario sacramentorum et de intentione ministri requisita ad validitatem sacramenti, factum est explicitum post ætatem patristicam.

11. Etiam solus recursus ad illum consensum et ad magisterium infallibile est via plene scientifica, quia ille consensus et illud magisterium infallibile plene scientifice probatur.

Quare probato scientifice magisterio, scientifice constant omnia quæ a magisterio proponuntur, licet alia via mere scientifica illa probari non possint.

B) De elemento humano seu de magisterio authentico et de sensu populi christiani

1. In elemento humano distinguenda sunt duo, scilicet : MAGISTERIUM AUTHENTICUM et POPULUS CHRISTIANUS.

2. Magisterium authenticum ut perveniat ad definiendum aliquod dogma vel ad cognoscendum factum Revelationis alicuius veritatis utitur etiam mediis humanis.

Ita est inquisitio in Scripturam et documenta Traditionis, etiam per subsidia disciplinarum humanarum.

Quæ *media humana* certe sunt sub speciali assistentia et directione Spiritus Sancti.

Sed infallibilitas definitionis tota dependet ab assistentia Spiritus Sancti, non a perfectione elementi humani: diligentiæ inquisitionis et scientiæ theologicæ. Relate scilicet ad media humana et ad scientiam theologicam,

Ecclesia in definiendo se habet omnino independenter et judicat secundum judicium et auctoritatem propriam.

3. Assistentia enim Spiritus Sancti promissa est Ecclesiæ non solum hypothetice, quasi solum si adhiberet diligens studium in definiendo, sed absolute, ita ut semper habeatur assistentia quandocumque illud magisterium doceat.

Certe providentia Dei efficit ut semper diligens inquisitio præcedat definitionem; vel si non præcesserit diligens inquisitio, efficiet ut nihil magisterium definiat; aut si definiat, illud tamen definiat quod verum est, licet humana diligentia in inquirendo fuerit vel parva vel etiam nulla. Quare, data definitione, non debet fidelis inquirere ad faciendum actum fidei utrum Ecclesia adhibuerit sufficientem diligentiam in definitione facienda.

4. Quia vero fides in toto cœtu fidelium consentiente conservatur a Spiritu Sancto immunis ab errore per magisterium authenticum, *consensus totius populi christiani in aliqua re,* quæ cognosci nequeat, nisi ex Revelatione, ut in Immaculata Conceptione, *est signum certum Revelationis divinæ,* licet si sumas singulos de plebe fidelium, vel etiam integras plebes, illi non habeant facultatem docendi sed solum officium discendi.

5. *Ut autem fideles consentiant* in aliquam veritatem ut revelatam *non est necesse* ex parte eorum studium scientificum *sed sufficit* eorum obœdientia pastoribus qui ducuntur a Spiritu Sancto; et Spiritus Sanctus efformat et conservat infallibiliter conscientiam fidei in grege adunato cum pastoribus.

Ita fuit in veritate Assumptionis. Pontifex misit epistulas ad omnes episcopos interrogando quid sentirent circa definibilitatem Assumptionis et fere omnes responderunt affirmative de se et de suis gregibus; nemo autem de populo fecerat studium scientificum: et tamen consensus populi totius est argumentum quia præcise ille consensus in tali re quæ potest sciri solum ex Revelatione producitur a Spiritu Sancto.

Quod confirmatur in Bulla "MUNIFICENTISSIMUS".

> "Hæc singularis catholicorum Antistitum et fidelium conspiratio" (Bulla *Ineffabilis Deus*, Acta Pii IX, p. I. vol. I, p. 615), qui Dei Matris autumant corpoream in Cælum Assumptionem ut fidei dogma definiri posse, cum concordem Nobis præbeat ordinarii Ecclesiæ Magisterii doctrinam *concordemque christiani populi fidem — quam idem Magisterium sustinet ac dirigit* — idcirco per semetipsam ac ratione omnino certa ab omnibusque erroribus immuni manifestat eiusmodi privilegium veritatem esse a Deo revelatam in eoque contentam divino deposito, quod Christus tradidit Sponsæ

6. **Duplex est via qua pervenitur ad aliquem consensum atque ideo progressum in dogmate.**

Scilicet *una adiuvans* quæ est VIA AFFECTIVA, *alia potior*, et quæ potest esse etiam sola, scilicet VIA SPECULATIVA seu per discursum rationis.

Via affectiva est illa quæ ita describitur a S. Thoma:

> "Rectitudo *iudicii* potest contingere *dupliciter*: uno modo secundum perfectum *usum rationis*; alio modo propter *connaturalitatem* quandam ad ea de quibus est iudicandum. Sicut de his quæ ad castitatem pertinent, per *rationis inquisitionem* recte iudicat ille qui didicit scientiam moralem: sed per quandam connaturalitatem ad ipsam recte iudicat ille qui habet habitum castitatis." (2^a $2^æ$, q. 45, art. 2)
>
> "Sicut enim *gustus* diiudicat *sapores* secundum suam dispositionem, ita mens hominis diiudicat de aliquo faciendo secundum suam *habitualem dispositionem*." (2^a $2^æ$, q. 24, a. 11)
>
> "Cum *iudicium* ad sapientiam pertineat, secundum *duplicem modum iudicandi* dupliciter sapientia accipitur. Contingit enim aliquem iudicare uno modo *per modum inclinationis*; sicut qui habet *habitum* virtutis recte iudicat de his quæ sunt secundum virtutem agenda, inquantum ad illa inclinatur. Unde et Ethicorum libro decimo, cap. quinto, dicitur quod virtuosus est mensura et regula actuum humanorum. Alio modo *per modum cognitionis*, sicut aliquis *instructus* in scientia morali posset iudicare de actibus virtutis, etiamsi habitum virtutis non haberet." (1^a, q. 1, art. 6 ad 3)

Et de facto ex historia dogmatis constat animas sanctas, simplices fideles pios et sinceros sensisse aut præsensisse veritatem aliquam contineri in deposito Revelationis antequam theologi per viam speculativam ad eandem conclusionem devenirent. Quod fideles instinctu quodam perceperant, paulatim factum est in Ecclesia commune et sic efformatus sensus fidei, aut *sensus christianus*, cuius ope veritates aliquæ ut revelatæ tenentur nondum exsistente ratiocinatione demonstrativa. Inter huiusmodi veritates connumerari solent Immaculata Conceptio B. M. V., virginitas perpetua eius et exemptio ab omni peccato actuali, Assumptio corporea et mediatio universalis.

Etiam in vita ordinaria dantur multa iudicia in quibus habemus et manifestamus certitudinem, quin tamen sæpe rationem speculativam et logicam afferre valeamus. Talia iudicia fundamentum habent habitualem quandam scientiam atque notitiam generalem, quotidiana experientia et consonantia cum iudiciis aliorum approbatam et confirmatam. Concordant ergo tum cum propria scientia et experientia interna, tum cum

experientia externa (quæ fit in conversatione cum aliis). Unde eorum nomen "iudicia sympathica".

Si e.g. interrogamur, num in propria lingua patria hæc vel illa phrasis adhiberi possit, sæpe ex sensu linguæ respondemus sine omni hæsitatione affirmative vel negative; neque tamen sæpe, (si alter urget), rationem assignare possumus, cur dici vel non dici possit. — Idem occurrit in iudiciis æstheticis; quando artifex (sculptor, pictor, musicus, poëta) interrogatur, num hoc vel illud opus correspondent genuinæ et probatæ arti, cum certitudine respondet sæpe aut *ita* aut *non-ita*; et simul nescit argumento claro et perspicuo probare suam assertionem. Ita in rebus religiosis simplices fideles sæpe cum plena et spontanea certitudine iudicant aliquam sententiam non posse componi cum veritate catholica; sed nesciunt rationem dare.

Omnia huiusmodi iudicia sympathica non exsurgunt ex cæco et vago sensu, sed ex habituali et generali notitia (universaliore) sub qua subsumitur quæstio particularis; et ex comparatione spontanee iudicatur, quæstionem particularem esse vel conformem vel difformem. Hæc theoria et inquisitio de iudiciis sympathicis in multis materiis inservit ad facta et problemata valde dilucidanda.

7. Via speculativa est potior, quia, dum via affectiva nititur potius experientiis subiectivis et personalibus, speculativa affert rationes obiectivas quas omnes examinare possunt.

8. Frequens *occasio progressus* in via speculativa atque ideo progressus dogmatici fuerunt hæreses.[7]

a) Ita doctores catholici contra Subordinatianismum et hæresim Arianam debuerunt magis determinare formulas quæ exprimerent naturam Verbi Divini, eius generationem æternam et eius consubstantialitatem cum Patre.

b) Hæresis Pelagiana fuit occasio melius proponendi dogma peccati originalis. Dum ante illam hæresim affirmationes Patrum circa hoc non erant tam claræ, præsertim quia illi Patres pugnantes contra errorem Gnosticismi, Manicheismi, et Origenismi debebant excludere ab animis nostris præsentiam peccati personalis ante nostram nativitatem, debebant excludere corruptionem quæ esset naturalis homini, ut illæ hæreses sustinebant. Dum ergo illi auctores indicaverunt potius aspectum pœnalem et afflictivam peccati originalis, S. Augustinus ductus fuit a rerum adiunctis ut potius insisteret in aspectum moralem peccati generis humani in Adamo. Explicavit itaque quomodo peccatum originale in quolibet individuo dicat transgressionem moraliter imputabilem, non jam per actum voluntatis individui sed per aliquam

dependentiam a voluntate Adami capitis humanitatis. Romani Pontifices et Concilia elegerunt ex doctrina S. Augustini id quod ipsi iudicaverunt ut expressionem exactam dogmatis, omittendo quasdam explicationes secundarias quæ respiciebant potius munus concupiscentiæ in transmissione peccati originalis. Quæ tamen explicationes disparuerunt solum post condemnationem errorum Baii et Jansenii.

c) Hæreses Pelagiana et Semipelagiana fuerunt etiam occasio pro evolutione dogmatis circa gratiam. Quod dogma fuerat substantialiter jam affirmatum a Patribus anterioribus; sed S. Augustinus magis insistere debuit in his duobus punctis fundamentalibus; quod scilicet gratia est necessaria pro intima renovatione seu regeneratione animæ et ad faciendos actus salutares et quod gratia est absolute gratuita, quia superat essentialiter omne meritum proveniens a viribus mere naturalibus voluntatis humanæ, quod maxime verum est de prima gratia illuminationis vel conversionis supernaturalis. Sed simul S. Augustinus miscet in explicatione dogmatis quasdam opiniones mere personales, præsertim circa modum efficaciæ gratiæ. Ecclesia approbando doctrinam tanti doctoris, unice definivit et necessitatem absolutam gratiæ pro omni actu salutari, et strictam gratuitatem huius gratiæ, excludendo omne meritum naturale, præsertim pro initio fidei et pro credulitatis affectu qui illud initium comitatur.

d) Hæresis Rebaptizantium et Donatistarum fuit occasio distinctionis magis præcisæ inter conceptum validitatis sacramenti et eius efficaciam. Aliquod sacramentum scilicet potest esse validum neque tamen efficax gratiæ sanctificantis. Quia enim effectus Sacramenti non procedit a ministro sed a Deo, potest esse validum sacramentum administratum ab hæretico vel administratum alicui hæretico. S. Augustinus ostendit quod effectus tunc productus est character baptismalis, qui sine dubio a semetipso non sufficit ad remittenda peccata sed qui potest sufficere ad illam remissionem producendam eo ipso quod obstaculum ad remissionem peccatorum auferatur per veram pœnitentiam. Quæ notio characteris sacramentalis duxit deinde ad definitionem Concilii Tridentini.

e) Prima tentamina schismatis Græci et deinde eius consummatio fuit occasio definitionis magis explicitæ primatus R. Pontificis (D. 326; 332; 351; 694). Quæ definitiones magis explicitæ factæ sunt in Concilio Vaticano quod destruxit ultimas reliquias Gallicanismi.

f) Præsertim hæresis Protestantica fuit occasio multarum definitionum: circa inspirationem librorum sacrorum, circa peccatum originale, circa gratiam sanctificantem, circa sacramenta maxime Pœnitentiæ et Matrimonii, et circa Sacrificium Missæ.

Nota vero quod non dico: hæreses initiaverunt progressum, ut blasphemando dixerunt Modernistæ, quasi v.g. Montanistæ initiaverint ascetismum, Gnostici scientiam theologicam, Sabelliani conceptionem catholicam Trinitatis. *Dico solum quod fuerunt occasio,* quatenus coegerunt

catholicos ad melius scrutanda dogmata; ad magis enucleandos conceptus quibus dogmata constant; ad distincte proponendas notas quæ in eis sunt discernendæ; ad bene distinguendum modum intelligendi et significandi ab ipsis rebus intellectis et significatis, et ad invenienda idonea vocabula quibus res mysteriosæ melius exprimerentur.

9. Factor immediatus progressus dogmatici sæpe fuit labor præparatorius theologorum.

a) Ita S. Vincentius Lerinensis primus, expressit conceptum explicitum alicuius realis progressus in nostra cognitione dogmatis.

Eius expositio non videtur habuisse occasionem ex aliquo errore vel controversia contemporanea; sed procedit ex consideratione officii quod usque ad finem sæculorum exercere debet magisterium infallibile Ecclesiæ. Et mirum est quod eius doctrina tam parum influxerit in auctores sequentium sæculorum usquedum in sæculo XIX solvendum fuit grave problema conciliandi necessariam immutabilitatem dogmatum ex una parte, et ex alia parte manifestum progressum in nostra cognitione eius, ut patebat ex recentibus laboribus criticæ historicæ. Lerinensis ergo docuit doctrinam quæ post quattuordecim sæcula definita est in Concilio Vaticano terminis fere identicis cum illis quibus ille usus est.

b) Ita etiam S. Anselmus pervenit mediante labore personali studii profundioris ad dandam formam satis explicitam et satis novam dogmati Redemptionis satisfactoriæ. Dum antiqua expositio dogmatis nimis generice loquebatur de totali nostra liberatione quam effecit Incarnatio et mors Filii Dei, S. Anselmus substituit illi doctrinæ *notionem præcisam expiationis satisfactoriæ*; quæ expiatio poterat offerri solum a Persona aliqua divina unita cum natura humana, supposito quod Deus exigeret condignam satisfactionem.

10. Etiam variæ controversiæ inter theologos catholicos fuerunt occasiones progressus dogmatici:

a) Ita controversia circa numerum Sacramentorum. Dum ante scholam Abælardi et Petri Lombardi erat magna confusio et quidam enumerabant *duodecim Sacramenta,* alii *duo,* alii *novem*; schola Petri Abælardi et postea Petrus Lombardus bene institerunt in definitione Sacramenti Novæ Legis ut signi efficacis gratiæ. Applicando hanc definitionem, excluserunt omnia sacramentalia et pervenerunt ad *numerum septenarium* Sacramentorum qui postea est definitus a Concilium Tridentino.

b) Controversia circa naturam characteris sacramentalis, cuius exsistentia explicite affirmata est post S. Augustinum. Disputatum est circa naturam huius entis et circa relationes eius cum sacerdotio Christi, sed concordia facta est unanimis circa hanc definitionem: est quoddam *spirituale signum indelebile* in anima impressum.

c) Controversia circa intentionem necessariam pro valida administratione Sacramentorum, duxit theologos ad concordiam circa hoc punctum: *est*

necessaria aliqua intentio positiva faciendi quod facit Ecclesia, quia minister sacramentorum agit in potestate et in nomine Jesu Christi et Ecclesiæ; quod fieri nequit modo vere humano et rationali nisi subordinando aliquo modo propriam intentionem intentioni Christi et Ecclesiæ. Quæ controversia præparavit definitionem Conciliii Tridentini.

d) Controversia circa naturam potestatis remittendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ. Quidam enim theologi cum Hugone a S. Victore et Petro Lombardo reducebant illam potestatem ad potestatem simpliciter declarativam vel *ad potestatem remitttendi solum pœnam temporariam,* quia secundum ipsos remissio peccatorum semper procederet a contritione perfecta. S. Thomas e contra illam opinionem oppugnavit et explicavit *realem et integram efficaciam absolutionis.* Quæ doctrina præparavit definitionem Concilii Tridentini.

f) Controversia circa sufficientiam attritionis seu doloris imperfecti seu procedentis ex timore inferni, conduxit ad doctrinam Concilii Tridentini ex qua deducitur sufficientia attritionis supernaturalis, *ita ut hodie* disputatio quæ adhuc subsistit inter theologos *non sit amplius circa sufficientiam attritionis,* sed solum circa qualitates quas ipsa habere debet, præsertim circa amorem qui in illa necessario includi debet.

g) Controversia circa Immaculatam Conceptionem, quæ prius negata fuit a variis theologis scholasticis, propter opinionem eorum circa transmissionem peccati originalis per concupiscentiam carnalem. Duns Scotus autem optime statuit possibilitatem, convenientiam et factum Immaculatæ Conceptionis et ita initium dedit illi motui qui duxit ad celeberrimam definitionem.

11. Ita intelligitur quomodo ante illas occasiones et illum progressum auctores sint minus recte locuti aliquando circa veritates revelatas.

a) Sic ex. g. quod Filius Dei sit Deus non minus ac Pater, sunt clara testimonia in omni tempore. Sed cum devenitur ad considerandum quod est Deus de Deo, Deus genitus a Deo generante, modus loquendi fit sæpe imperfectus. Priusquam enim epuratus esset conceptus divinarum originum per duplicem viam remotionis et excellentiæ, utque perductus esset in distinctam notionem subsistentium relationum, de Patre innascibili videbantur loqui quasi hæc innascibilitas contineret aliquid majoris perfectionis; de generatione divina quasi haberet admixtam efficientiam quæ utique invenitur in generatione humana; de Filio Dei quasi dependeret a suo principio sicut in creatis filius dependet a Patre.

b) Item in dogmate Incarnationis, quod consistit in hoc quod unus idemque est Filius Dei ab æterno, et Filius hominis in tempore; qui ergo manens id quod erat, incipit esse quod non erat, neque tamen mutatus est. Sed cum devenitur ad considerandum quomodo advenerit humanitas unione physica et substantiali illi qui manebat in forma Dei, fuerunt confusiones antequam expoliti essent isti conceptus: unionis in natura, unionis in Persona, et formalium utriusque differentiarum.

c) Pariter de dogmate peccati originalis, quod est proprie dictum peccatum, sed tamen peccatum sui generis, quod non dicitur univoce cum aliis peccatis. Est enim peccatum utique voluntarium sed per voluntatem alterius; peccatum alienum sed quodammodo et nostrum.

d) Similiter in dogmate gratiæ: gratia enim præcedit utique meritum bonæ voluntatis; sed tamen bona hominis voluntas requiritur ad recipienda Dei dona et præsertim ad recipiendam iustificationem. Itaque inveniuntur in scriptis veterum Patrum testimonia in quibus Deus dicitur dare gratiam eis quos invenit dignos, seu præparatos ad recipiendam eam. Et hoc quodammodo verum est, licet etiam verum sit quod qui digni inveniuntur solum ope ipsius gratiæ tales inveniantur.

Breviter ergo : eiusmodi sunt *expressiones minus aptæ* in Patribus: dicunt v.g.: Verbum insitum in Patre factum est prolatitium in creatione mundi vel in Incarnatione; Pater solus est natura invisibilis; Filius Patri ministrat; Spiritus Sanctus non procedit ex Filio sed procedit per Filium et est Spiritus Filii; una est natura trium personarum, sicut una est natura plurium hominum; personæ in Deo distinguuntur tantum consideratione mentis; sicut duæ naturæ in Christo distinguuntur tantum consideratione mentis; una est natura Verbi incarnata; in Christo virtus corporis excepit vim pœnæ sine sensu pœnæ; natura carnis in Christo est absorpta a Divinitate et post Resurrectionem transiit in Divinitatem; in operibus bonis nos incipimus et gratia subsequitur; necesse est ut secundum id operemur quod magis delectat; homo ducitur a gratia invincibiliter et insuperabiliter; verbum accedens ad elementum mundat non quia dicitur, sed quia creditur; soli Deo necesse est confiteri peccata; infantibus est necessaria communio Eucharistiæ ut ingrediantur vitam æternam; in Eucharistia manet natura panis; Eucharistia est signum corporis Christi; Episcopi sunt majores presbyteris magis consuetudine quam veritate dominicæ dispositionis; peccatores non sunt de Ecclesia; quando Christus promisit ædificationem in petra, promisit ædificationem in seipso.

12. Sed illæ expressiones inexactæ possunt bene intelligi, immo et debent.

Iam in his quæ constituunt ipsam summam Fidei, sensus Ecclesiæ præsentis est idem ac sensus Ecclesiæ primitivæ, *quia Ecclesia est semper infallibilis et dogmata sunt immutabilia* ut scientifice probatur. Sed ab hoc sensu non potuerunt discedere omnes illi Patres quorum auctoritas semper fuit recepta et usque nunc recipitur. Itaque illa quæ non fuerunt dicta ab ipsis cum tanta cautela, sensu orthodoxo accipienda sunt, quidquid sit de probabilitatibus quæ occurrere adhuc posse viderentur e conspectu nudæ et simplicis criticæ scientificæ.

13. In explicatione fidei igitur inquisitio humana suas partes habet, sed est assistentia Spiritus Sancti quæ organa humana ita dirigit ut ad consensum vel ad definitionem numquam perveniatur nisi secundum sensum genuinum contentum in obiectiva Revelatione.

Elementum humanum potest esse plus vel minus perfectum, sed Spiritus Sanctus efficit ne unquam deveniatur ad universalem consensum prædicationis ut de fide in aliqua re quæ non sit de fide, vel deveniatur ad definitionem quæ vera non sit. Et quia illa assistentia non destruit naturam sed elevat et ordinat, potest fieri ut pro diversitate elementi humani ipsæ formales definitiones fidei possint esse aliquibus temporibus puriores et profundiores quam in aliis; et potest fieri ut ex imperfectionibus elementi humani (scilicet scientiæ, inquisitionis, distinctionis, cooperationis, sanctitatis) non deveniatur ad definitionem ad quam Spiritus Sanctus deduxisset sub condicione majoris perfectionis, sed non potest fieri ut deveniatur ad definitionem falsam. Compara Concilium Constantiniense et Concilium Tridentinum.

14. Auctoritas infallibilis Ecclesiæ sub assistentia Spiritus Sancti est unica causa principalis progressus dogmatici.

Nam sive via affectiva, sive via speculativa sunt solum *instrumenta* quibus pervenitur ad definitionem, non sunt *causa* definitionis.

C) De instrumentis traditionis

A magisterio transmittente et ab actu transmissionis sunt scripta, monumenta et documenta cuiuscumque generis: catecheses, conciones, libri scripti, sacra Liturgia, artes sacræ, lapides, sepulcra et præsertim opera Patrum, et ipsa S. Scriptura quatenus explicatione indiget.

Nunc *prius* aliquid dicam de Patribus et *deinde* de duplici ratione interpretandi monumenta traditionis.

(a) De Patribus

1. Patres sunt testes Traditionis divinæ quando affirmant aliquam doctrinam ut revelatam.

2. Affirmare aliquam doctrinam ut divinam potest fieri multipliciter:

... vel dicendo illam esse revelatam, vel ut retentam ab Ecclesia per fidem divinam, vel vocando hæreticum qui contradicat.

3. Ad intelligendam sententiam alicuius Patris, debes ante omnia *bene scire scopum quem sibi Pater proponebat in scribendo vel loquendo* in illo opere.

Scopus enim diversus nostri sermonis potest dare diversum sensum iisdem verbis. Scopus autem intelligitur ex historia illius Patris et temporum in quibus vixit; quando bene scis scopum, facias analysim logicam textus illius. Unde vides quod probare aliquam thesim cum aliqua ieiuna sententia Patrum, si nescis scopum illorum, est fere nihil.

4. Patres sunt simplices doctores, ut alii theologi, quando affirmant aliquam doctrinam simpliciter ut non difformem a Revelatione.

5. Potest dici *consensus unanimis* quando multi idem affirmant et alii non dissentiunt.

6. Etiam unus Pater potest esse idem ac unanimis consensus quando Ecclesia adhæret illi doctrinæ quam ipse testatur.

Id dicas de S. Athanasio contra Arium, de S. Cyrillo Alexandrino contra Nestorium, de S. Epiphanio contra Ætium, de S. Augustino contra Pelagium.

7. Extra ambitum Traditionis divinæ, sed manendo in campo religioso, Patres vim habent ut testes venerandi traditionis humanæ in rebus quæ respiciunt disciplinam aut gubernium aut historiam Ecclesiæ.

8. Extra ambitum Traditionis divinæ, in campo religioso doctrinali, auctoritas Patrum constituit probabile argumentum.

9. In scientiis mere humanis seu profanis auctoritas Patrum non est maior quam aliorum philosophorum.

10. Quæ dicuntur per accidens non constituunt testimonium Patrum relativum ad doctrinam.

Nam intelligentia humana in aliquo sermone bene ponderat conceptus principales et in his totam attentionem convertit: in aliis non item.

11. Quare motiva quæ afferunt Patres ad confirmandam veritatem de fide, possunt esse debilia.

Nam sunt testes in proponendo obiecto fidei; non sunt testes in rationibus et argumentis quibus doctrinam fidei defendunt: in his sunt simplices doctores ut alii theologi.

12. Non adest consensus quando est discordia in sententiis explicitis. Ita de millenarismo, in quo non consentiebant Patres.

13. Etiam hæretici affirmant Traditionem divinam in parte veritatis quam retinent.

Ideo etiam sententia hæreticorum analyzatur in nostris thesibus; sed propter aliam rationem: ad melius intelligendam nostram sententiam.

14. Immo hæretici de facto negando affirmant Traditionem divinam in illis rebus quas negant.

Ita Protestantes accusant Ecclesiam Romanam quasi mutaverit Revelationem divinam; sed non possunt indicare neque auctorem neque tempus huius corruptionis; unde cum illa sua accusatione quam probare

non possunt, affirmant de facto quod solum in Ecclesia Romana est totum depositum Revelationis divinæ et quod ipsi sunt qui mutaverunt.

15. Quia testificatio Patrum est solum subsidiaria, potest in aliquo casu deesse, quin tamen pereat divina Traditio alicuius veritatis.

Scilicet *silentium Patrum* circa aliquam veritatem, ***non est argumentum*** quod illa veritas non sit revelata, si cognoscatur revelata ex aliis fontibus seu ex aliis mediis transmissionis divinæ, sive oralibus sive scriptis, vel ex consensu hodierno.

Consensus ergo Patrum ad aliquam definitionem faciendam non necessario requiritur; sicut ceteroquin non requiritur consensus episcoporum, quantumvis utilis, ut Pontifex definiat aliquam doctrinam de fide et moribus. Possunt enim variæ doctrinæ esse cognoscibiles etiam ex aliis fontibus et possunt definiri quæstiones dum adhuc sunt dubiæ et controversæ intra fines Ecclesiæ.

Ita si Patres non sunt unanimes in interpretando aliquo textu scripturali, potest tamen aliis viis iudicium Ecclesiæ ita maturari ut non liceat tenere nisi unum sensum illius textus. Supponamus quod Patres non fuerint concordes in videnda Maria in illis verbis Geneseos: "Inimicitiam ponam inter te et mulierem;" ista nulla est difficultas contra factum quod nunc talis sensus sit valde communis, quod possit etiam ab Ecclesia authentice definiri.

16. Potest dari consensus hodiernus in aliqua re de fide et moribus ut revelata de qua tamen non consentiebant Patres.

Parum ergo refert si non possum probare aliquam thesim ex traditione præterita; sufficit quod possim probare ex consensu hodierno, qui est traditio eodem modo ac consensus sæculorum præteritorum. Ita probatur Immaculata Conceptio et Assumptio.

(b) De interpretandis monumentis traditionis methodo historica et dogmatica

1. Duplex est methodus qua interpretari possunt monumenta Traditionis divinæ, scilicet vel *mere historico* vel etiam *dogmatica*.

Voco methodum *mere* historicam illam quæ præscindit a Revelatione vel lumine superiore, sed illa non negat; nam vera historia negare non potest factum Revelationis (quod mere historice probatur).

2. Methodus historica investigat et explicat documenta sub lumine factorum et criticæ historicæ. Scilicet explicat textus per se, regulas sequendo interpretationis grammatico-historicæ, ita tamen ut, si interpres

catholicus sit, regulas catholicæ exegeseos præ oculis habeat, saltem tamquam normam negativam.

3. Methodus dogmatica investigat et explicat documenta sub lumine fidei et doctrinæ Ecclesiæ præsentis et antiquæ.

Si præsens Ecclesia speciatim aliquam doctrinam proponit, iure ad ea fit initium; si non proponit, a doctrina Ecclesiæ in præcedenti ætate investigatio incipit.

Scilicet explicat textus complendo interpretationem historicam grammaticalem per lucem quæ diffunditur ex dogmate inspirationis, ex doctrina Ecclesiæ, ex consensu Patrum, Theologorum et fidelium.

4. Repugnat quod vera historia aliquid demonstret cum certitudine quod sit contrarium revelatæ veritati.

5. Si mere historice rem considerando aliquid posset videri coniecturale vel probabile, potest accidere quod aliunde demonstretur falsum v.g. ex theologia et Revelatione.

6. Documenta antiqua quæ sunt obscura, explicanda sunt ex documentis clarioribus quæ forte inveniuntur in sæculis sequentibus, Encyclica "HUMANI GENERIS" docente:

> "... depositum nec singulis christifidelibus nec ipsis theologis divinus Redemptor concredidit authentice interpretandum, sed soli Ecclesiæ Magisterio. Si autem hoc suum munus Ecclesia exercet, sicut sæculorum decursu sæpenumero factum est, sive ordinario sive extraordinario eiusdem muneris exercitio, *patet omnino falsam esse methodum, qua ex obscuris clara explicentur,* quin immo contrarium omnes sequi ordinem necesse esse." (p. 569)

7. Quia ergo explicatione fit semper progressus, ineptum esset velle proprio marte ex antiquis obscurioribus deducere quid hoc tempore debeat esse, vel *ex antiquis proprio marte interpretatis velle corrigere Ecclesiam vel negare scholasticam.*

8. Si methodus mere historica ita construit suas hypotheses et explicationes in interpretandis textibus, ac si regulæ superiores Revelationis et magisterii infallibilis non exsisterent, potest pervenire ad aliquid falsi, sive in interpretanda Scriptura, sive in interpretandis Patribus.

Exempla quædam affero.

(a) Legitur in Evangelio Christum habuisse fratres et sorores (Mt. 12, 46; 13, 55 sqq. cum locis parallelis). Per solam methodum historicam incertum manet utrum de fratribus et sororis uterinis textus intelligatur. Accedat superius fidei criterium et infallibiliter scimus B. M. V. post partum virginem permansisse.

(b) Legitur Christum profecisse ætate sapientia et gratia apud Deum et homines (Luc. 2, 52). Iuxta puram methodum historicam aliquis iudicare posset quod Jesus intrinsecus crescebat in virtute et more aliorum puerorum de ignorantia ad scientiam transibat. Iudicium corrigit doctrina catholica, affirmans nullum augmentum in sanctitate fuisse in anima Christi, nullam ignorantiam.

(c) Quatuor Evangelia secundum methodum mere historicam plenam fidem merentur, non vero necessario quoad omnes narrationis modos et secundarias aliquas circumstantias. Interveniat superius criterium divinæ inspirationis et iam omnis inerrantia erit affirmanda.

(d) Quod de Novo Testamento dicitur, valet adhuc magis de libris Veteris Testamenti. Præsens genus humanum ortum habuisse ex Adamo et Heva dogmatice firmiter tenemus, methodo historica non demonstramus. Etiam in aliis historicis narrationibus Veteris Testamenti, non semper plenam certitudinem factorum assequimur per media mere humana et via criticæ historicæ. Doctrina inspirationis Scripturæ eiusque inerrantiæ defectum supplet.

9. In interpretandis textibus Revelationis non sufficit methodus mere historica, quia cum agatur de schola divina oportet cognoscere eius terminologiam, regulas, methodum, principia.

Ita purus historicus sola utens methodo critica, non semper habet unde certo excludat mutationem substantialem in sensu et intelligentia dogmatum temporum decursu intervenisse; nec semper percipiet quomodo sententiæ posteriorum Patrum consentiant cum anterioribus, quomodo consensu actualis Ecclesiæ cum consensu præcedentium ætatum omnino coincidat.

Invocando criterium dogmaticum et elementum humano maius, theologus iudicium et expressionem fidei agnoscit ubi historicus nullam posset in eundem sensum eruere conclusionem, quia theologus documenta intelligit et explicat in lumine infallibilitatis Ecclesiæ et homogenei progressus dogmatis.

Historicus vix admittit continentiam implicitam unius veritatis in alia nec doctrinæ alicuius exsistentiam, nisi explicita documenta eam attestentur. Pro theologo plenitudo sensus alicuius textus obtinetur, in quantum implicitum per explicitum illuminatur, propter continuitatem unius eiusdem doctrinæ immutabiliter permanentis.

10. Lumen fidei aliquid ostendit in verbis revelatis quod sine illo lumine videri non posset.

11. Ex aliquo textu scientia mere humana fortasse demonstrare non potest id quod Ecclesia definivit et tamen definitio Ecclesiæ manet verissima.

Nam quinam sit verus sensus potest constare v.g. ex consensu totius Ecclesiæ vel ex definitione infallibili. Si quando igitur disciplina humanæ interpretationis scopum suum non assequeretur, sensus tamen determinatus per definitionem Ecclesiasticam non redderetur minus certus; tunc admittendus esset aliquis defectus scientiæ humanæ et confiteri deberemus aliquid nos latere quod esset necessarium ad intelligentiam assequendam.

D) De veritatibus traditis, de methodo dogmatica progressiva, de methodo dogmatica regressiva

Ex prædictis manet solutum problema circa veritates traditas. Problema erat hoc: nullum dogma potest esse totaliter novum, quia revelatio est clausa. Ergo quodlibet dogma probandum est ex documentis præteritis. Sed sunt quædam dogmata quæ ex solis documentis mere historice et philosophice consideratis probari non possunt. Solvitur respondendo:

1. Assistentia Spiritus Sancti promissa est Ecclesiæ non solum ad conservandam veritatem revelatam, sed etiam ad illam determinandam et explicandam.

Illæ veritates probantur ex illo consensu ad quem Spiritus Sanctus ducit Ecclesiam in interpretandis et determinandis documentis præteritis.

Sic v.g. in tribus privilegiis B. M. V., quod sit *Mater Dei,* quod sit *Plena Gratiæ, quod sit Virgo,* consensus Ecclesiæ videt contineri et aliud privilegium, scilicet quod sit Assumpta. Veritas ergo Assumptionis non est nova quia habeo illa privilegia ex quibus logice deducitur ipsa, secundum leges logicas; non est tamen mere rationalis neque mere historica, quia si non adesset consensus vel definitio Ecclesiæ, illam veritatem non possem certo deducere.

Utrumque enim debes admittere: et quod sit aliquid in Scriptura vel in documentis Traditionis ex quo possum deducere illud dogma, quia nullum dogma potest esse totaliter novum sed debet contineri saltem implicite in præcedentibus; et dico: sunt præcise illa alia dogmata quod sit Mater Dei, plena gratia et Virgo ex quibus logice deduco hoc aliud. Sed simul debes etiam admittere quod Assumptio ex sola ratione non potest apodictice deduci, quia per se non repugnat quod aliqua sit Mater Dei et tamen non assumpta, sed totum pendet a libera voluntate Dei. Hic autem intrat aliud elementum quod est assistentia Spiritus Sancti qui variis viis ducit Ecclesiam ad illum consensum, dicendo hoc facto consensus: in illis privilegiis dignæ Matris Dei plenæ gratiæ, et Virginis continetur etiam hoc aliud quod est Assumptio. Non agitur ergo de aliquo illuminismo quia revera novum dogma ex præcedentibus deduco.

Et si non sint ulla documenta præterita ad probandam aliquam veritatem in sæculis præteritis, *datur tamen semper transmissio oralis.*

2. Sic methodus regressiva, proficiscendo ex hodierno consensu Ecclesiæ infallibilis, infallibiliter excludit omnia dubia quæ examen documentorum per se solum non excluderet.

Voco *methodum regressivam* in examinandis documentis, illam quæ initium sumit ab actuali consensu Ecclesiæ circa aliquam veritatem, v.g. circa Assumptionem, ut inde sub eius lumine perpendantur documenta Traditionis; dum *methodus progressiva* incipit a documentis præteritis ut inde deducat utrum aliqua veritas sit revelata et proinde definibilis.

3. Methodus regressiva sæpe adhibetur in theologia ...

... cum ad discernendum verum Scripturæ sensum, recurrimus ad posteriorem traditionalem interpretationem; cum mentem priorum Patrum introspicimus sub luce posteriorum Patrum doctrinæ; cum accuratum sensum alicuius Prophetiæ Veteris Testamenti in lumine adimpletionis in Novo stabilimus.

Methodo regressiva usi sunt Apostoli, qui secundum Ioannis narrationem verba Christi non intellexerunt aientis: "Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo ei Iudæi: Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc et tu in tribus excitabis illud ? Ille autem dicebat de templo corporis sui. Cum ergo resurrexisset a mortuis, *recordati sunt* discipuli eius, quia hoc dicebat et crediderunt Scripturæ et sermoni quem dixit Iesus" (Io. 2, 19-22) Eadem methodo utuntur Concilia Vaticana et Tridentina, quando iteratis vicibus declarant niti traditione et S. Scriptura *prout ab Ecclesia catholica acceptæ et explicatæ* sunt.

4. *Neque est tamen circulus vitiosus* qui asseritur dicendo: *Assumptio* v.g. continetur in deposito fidei, quia predicatur unanimi consensu in Ecclesia.

Ex alia parte certum est: ideo ab Ecclesia prædicatur et consensus viget, quia continetur in deposito fidei.

Ad hanc enim obiectionem respondetur: in ordine realitatis chronologicæ et obiectivæ prius est fidei depositum et postea Ecclesiæ actualis consensus. In hoc ordine verum est: Assumptio unanimi consensu proponitur in Ecclesia credenda, quia continetur in traditione divino-apostolica. — In ordine vero subiectivo et logico cognitionis nostræ, quando duo sunt inter se indissolubiliter coniuncta, ex uno (licet sit chronologice posterius) aliud potest deduci (quod est chronologice prius). Hoc præcise contingit relate ad magisterium et ad fidei depositum. Si magisterium docet veritatem esse revelatam, ea absque dubio in deposito fidei continetur. Unde ex doctrina magisterii, magis nota, deducitur

continentia in deposito, minus nota. Pro Assumptione in ordine subiectivo nostræ cognitionis valet: Continetur in deposito quia prædicatur a magisterio ecclesiastico. *Nullus vero circulus vitiosus incurritur.* Nam hæc altera assertio viget in ordine nostræ cognitionis, prior vero (ideo Ecclesia prædicat quia veritas continetur in fidei deposito) valet in ordine chronologico obiectivo.

5. Neque valet alia obiectio: *illegitime tribuitur documentis valor quem non habent*; nam per se non gignunt certitudinem; e contra sub lumine actualis consensus dicuntur gignere certitudinem.

Respondetur: non attribui arbitrarie valorem documentis, tantummodo medium adhiberi ut eorum valor intrinsecus nobis melius reluceat. Sicut in cubiculo obscuro latent obiecta, quæ nobis non apparent; fiunt vero visibilia si lux illuminat cubiculum. Stellæ in cœlo multæ, quas nudo oculo invisibiles prorsus sunt, visibiles redduntur si oculus debito instrumento muniatur. Similiter in præsenti, adhibito lumine consensus Ecclesiæ certius percipimus quid in se documenta dicant.

6) Neque verum est quod deducatur ex præmissis id quod in eis non continetur.

Sit enim syllogismus: Ecclesia tenet unanimiter Assumptionem esse revelatam. Atqui hoc necessario implicat Assumptionem contineri in traditione. Ergo Assumptio continetur in traditione. *Maior* propositio enuntiat factum aliquod; *minor* constat propter infallibilitatem Ecclesiæ.

Ultima igitur ratio legitimitatis methodi regressivæ ponitur in assistentia Spiritus Sancti Ecclesiæ promissa et data, per quam discernit verbum Dei ab eo quod non est tale eiusque sensum authentice interpretatur.

Ecclesia non est supra verbum Dei; sed Eius genuinum sensum infallibiliter intelligit et singulis proponit credendum, sicque est "supra privatam fallibilem intelligentiam singulorum." (Franzelin).

Postquam mere scientifice probatum est factum revelationis et infallibilitas Ecclesiæ in tenenda aliqua propositione ut revelata, plene scientifice sequitur conclusio.

EPILOGUS

Cum ergo scientia determinetur ex tribus elementis: *circa quid, ex quibus, quid,* solum primum elementum, i.e. *circa quid,* potest esse commune historico, philosopho, theologo.

Secundum autem, scilicet *ex quibus principiis,* est totaliter diversum pro tribus: pro theologo sunt enim principia fidei, pro philosopho principia rationis, pro historico leges psychologiæ individualis et socialis. Quare etiam tertium elementum, scilicet *conclusiones,* non possunt coincidere secundum totam extensionem in tribus scientiis; nam theologia est magis extensa in suis cognitionibus, quia recipit aliud lumen, quod lumen plura addit. Ostendo in indice systematico (Denz. pag. [17]). Hic *obiectum materiale commune* est satis determinatum : non solum enim est Deus, sed Dei exsistentia et cognoscibilitas, Dei essentia et cognoscibilitas, Dei essentia et attributa, Dei relatio ad extra. Sed *ex quibus principiis* est totaliter diversum in historia religionum, in philosophia, in theologia. Nam principia in philosophia sunt primi conceptus et prima iudicia immediata; in theologia sunt propositiones revelatæ, ut textus celeberrimus S. Pauli: "Invisibilia Dei, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas." Unde *conclusiones* in theologia sunt multo plures quam in philosophia, quia theologia continet omnes illas, quæ sunt in philosophia et præterea omnes alias quæ sunt revelatæ de Deo uno et Trino (sicut religio supernaturalis continet in se etiam naturalem). Deus enim, quia est Deus, est Deus Trinus, et metaphysice repugnat quod sit Deus neque sit Trinus.

INDEX

TRADIBOOKS

